# S. ISIDORI PELVSIOTAE EPISTOLAE LATINE NVNC PRIMVM EDITÆ.

*Interprete Andrea Schotto.*



P.P. Camald. Erem [illegible]

ROMÆ, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

*A. Episc. Bellicastren. Vicesg.*

EX commissione Reuerendiss. P.Mag. Sacri Palatij Apost. epistolas S. Isidori Pelusiotæ à R. P. Andrea Schotto S. I. Theologo latinè conuersas diligenter legi & expendi; quibus nihil contra Catholicæ Ecclesiæ fidem ac dogmata & morum honestatem contineri manu mea testor: & magno cum bono rei Christianæ easdem in publicum edi posse censeo.

*Lucas Holstenius manu propria.*

*Imprimatur.*

Fr. Hyacinthus Lupus Magister, & Reuerendiss. P. F. Nicolai Riccardij Sacri Pal. Apost. Magistri Socius, Ord. Præd.

ILLVSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
D. D.

# FRANCISCO BARBERINO S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO.

*Dauid Haex.*

ACCIPE quale hoc muneris eſt, Illuſtriſſime Princeps, non tantùm iure tibi debitum, ſed planè tuum; fructus quippe arborum tui ſoli. Egreſſæ fuerant Bibliotheca Vaticana epiſtolæ S. Iſidori Pelusiotæ: par fuit vt reuerterentur, ſed cum aliquo peregrinationis ſuæ compendio: exierant Græcè vt ſunt ab aucto-

ræ conſcriptæ; alterum nunc idioma didicerunt, atque etiam latinè loquuntur. Doctore vſæ ſunt Andrea Schotto Societatis Ieſu presbytero, auunculo meo: qui luculentum ſe laboris ſui præmium accipere arbitratus eſt hoc ipſo quod eſſent tuæ; tibi ſe iampridem dicauerat, addixeratque. Miſit igitur eas ad me, vt doctorum virorum iudicio examinatæ, limaque ſi opus haberent expolitæ tibi offerrentur. Verùm dum accuratè expenduntur, dum prælum inſtruitur, Andreas meliorem ad vitam euocatus deceſſit. Superſum non tantùm hæres illius in te obſeruantiæ, ſed meo etiam nomine obſtrictus tibi, non vt vnus inter cæteros mortales (cùm quicquid vbique ſit hominum debeat virtuti tuæ) ſed peculiari tua in me humanitate ac beneficio. Et reuera epiſtolæ dirigendis Chriſtianorum moribus compoſitæ non alteri dicari debuerunt quàm tibi, cuius mores ſubditi intuentur, admirantur, & vtinam imitarentur! Vale.

# INDEX RERVM.

A

B



Bellige-

C

Diuitiæ.

Homi-

M



Mortuos

Para-

Sacer-

# S



Socordiæ

Vindi-

Vitæ

# S. ISIDORI PELVSIOTAE EPISTOLÆ.

## LATINE NVNC PRIMVM EDITAE.

*Antiocho.* I

Animi moderatio optima.

VT *in corporibus, ex nimia abundantia humorum, variæ existunt intemperies, ubi enim elementa ſuos fines, modumq; excedũt; morbi, & mortes violentæ ſubſequuntur. Idem & animis accidit. Si enim à temperanti, moderataq; vitæ ratione in iracundiam prolabamur, aut ſuperbiæ typho inflamur, aut ſeruilem, abiectumq; animum induimus: quorum illud quidem odioſos, hoc verò ridiculoſos nos reddit. Vitia enim inuicem pugnantia miſcendo, amentiam ſcilicet, & aſſentationem, & odium acquirimus, & riſus materiam alijs præbemus. At ſi nimiam motuum animi vehementiam reſecemus, & egre-*

*giè humiles, & tutò excelsi erimus. Ea enim nostra philosophandi ratio, & modestiam, & magnitudinem vni, eidemq; animo inserit. Modestiam quidem, vt præponas te nemini; magnitudinem verò, vt nulli assenteris.*

*Hermogeni, Lampetio, & Leontio Episcopis.* 2

Pro improbis orandum.

*Vide ep. 103 440.*

*SI ad Zosimum, & Eustathium, & Maronem, qui neque ex sese quidquam sani sapiunt, nec ex rerum experientia proficiunt, neque aliorum consiliis acquiescunt, sed in apertum prolapsi sunt interitum, de rebus necessariis verba facere superfluum sit, vos ipsi dispicite: nihilominus æquum fuerit preces vos ad Deum pro iis fundere; fortè eos ex barathro malitiæ sic extrahetis. Dei enim id opus esse apparet.*

*Paulo* 3

De rerum humanarum vanitate.

*Cõfer 271. et lib. 3. 251.*

*SI diuitiæ, & pulchritudo, ac robur, gloria item, ac potẽtia, omniaq; adeò pulchra vulgò habentur citò marcescunt, et fumi in morem disparent, quis tam mentis inops, vt in horum aliquo*

*aliquo glorietur, seque iactet? Cùm enim is, cui omnia hæc adsunt, ijs spolietur, atque exuatur, interdum etiam viuus, nedum mortuus. Quomodò is, qui simul omnia non habet (neque enim cuncta vni obuenire possunt) risum mortalibus non debeat, venditans se vmbris, somnijs, atque obscuris visis.*

*Zosimo Presbytero.* 4

Concionatores exemplo plus quam verbo ædificant.

*PErsuadendum auditoribus, bone vir, ipsis operibus esse regnũ Dei, eiusque desiderium audientibus ingenerandum. Persuadentur autem, si quæ regno cælorum digna sunt docentem agere obseruent. Si verò supplicio digna, vt tu soles, committens de regno philosophetur, quì quæso, apud auditores fidem inueniat? Idem enim facit, atque si quis rei cuiusdam amore rem adamare se auscultantibus suadeat, quam in rerum natura non esse, auditores iam antè persuasissimum habent.*

*Domitio Comiti.* 5

Martyres moriendo vincunt.

*VInci id est, vir sapientissime, non bello cadere; sed hostes timere, ac clypeum abij-*

*cere; quem verò fortia animo meditantem corpus destituit, eũ inter victores adscribi iustum est: cum & eos athletas, qui in ipso certamine occumbunt, ludorum præfecti magis prædicent, quam eos, quibus nihil damni illatũ. Quæ cùm ita sint, cur Martyres moriendo succumbere existimas, et non potius præconio dignos censes? Huius enim pugnæ finis est, non corpus seruare, quod etiam tum, cùm viuere videbatur, mortificabant ipsi, sed virtutis decus integrum, illibatumque conseruare.*

## *Palladio* 6

### In Episcopatum ambientes.

1. Tim. 3. & 4. 2. Tim. 2. 15. Tit. i. 5.

*SI neque muneris Episcopalis magnitudo, neque quod ipse nihil quidquam tanto munere dignum hactenus feceris, nec Apostolica vox Episcopi virtutem delineans, neque rigidum illud Dei tribunal, quod certam, atque infallibilem sententiam feret, nec denique aliud quid, ab hac te amentia reuocat, quæ peruerso, & à ratione omni abhorrente desiderio temet agitat, vt dignitatem illam mercaturum te speres. Saltem externi, seu pagani hominis exemplo pudore suffundaris. Ferunt enim Pittacum accepto à Mitylenæis imperio cum*

*Phryo-*

*Phryonem Rhegiensibus præfectum singulari iam certamine vicisset, magistratu se abdicasse. Id factum cum Mitylenæi recusarent, vi eos compulit, quòd priuatus degere quam imperare mallet. Si ergo is imperium proprio periculo, & sanguine paratum sponte deposuit, periculum quidem suscipiẽs; imperium tamen ipsum, & id, quidẽ absolutissimũ, liberrimumq; defugiens: tu qui ne inter subditos quidem, vt aiunt, numerari dignus es, cùm prouinciam nõ sui iuris, sed mille rationibus reddendis obnoxiam, atque omni humana dignitate superiorem, quam nec vltrò delatã suscipere debebas, precio tibi temet comparaturum somnies? non modò non erubescis, verùm etiam gloriaris? ecquis hanc tuam satis accuset audaciam?* Epist. 317. et 505.

*Palladio Subdiacono.* 7

De ἐπιεικείᾳ bono, & æquo.

*HOminem mitem leniori animo esse par est, quam illum, qui summo, strictoq; iure omnia agit: lenitate enim potius, quam iure eum vti decet.* *Arist. lib. 5. Ethic. Nicomach. cap. 10*

*Alphino Subdiacono.* fort. *Alphio.* 8

Præstat non incidere in peccatum, aut si incidas, quam citissimè exire.

*PRæstat vitijs non capi: captum verò scire se captũ esse, statimque velut è temulentia quadam emergere. Qui enim captus est, neque tamen se captum esse credit, is morbo laborat incurabili.*

*Ammonio Scholastico.* 9

De recta liberorum institutione.

Epist. 317. et 506.

*QVi liberis suis adhuc in tenera ætate primum quidem, verum de Dei excellẽtia, atque prouidentia sensum, deinde virtutem, moresque probos inserunt, hi cùm non modò parentum, sed & optimorum magistrorum munere fungantur, à Deo mercedem accipient. Qui verò contrà Deorum multitudinem, & vitia eos docent, quasi dæmonijs liberos suos offerentes, debitas pœnas persoluent.*

*Symmacho.* 10

De pugna interioris hominis.

*ETsi ciuilibus in bellis, victores miseriores sint victis: plus enim quam illi probri susti-*

*ſuſtinent, quo plus quam illi calamitatis damnique intulerint, at certè in gratiam repoſiti differunt. In nobis verò bellum moleſtius, quã inteſtinũ inde exiſtit, quòd vnius dũtaxat corporis pugna eſt, vt & recõciliati nõ diſſideant, ſed ille placere ſibi videtur, qui amplius cæteris patrarit, cùm erubeſcere deberet: patranti enim, non patienti, paratum eſt ſupplicium.*

*Martiniano, & Zoſimo.* 11

Virtutis commendatio.

*VItium fugite, ò boni viri, ſolet enim infatuare, ac dementes reddere ſui amatores, virtutem potius ſectemini. Hæc enim ſapientes efficere poteſt, atque in decenti continere officio, qui eam amplexi ſunt. Quæ ſæpenumerò etiam ex ipſis oculis mite quid, ac placidum tuentibus ſe prodit, oſtenditq; quam mens interior plena ſit modeſtiæ.*

*Zoſimo presbytero.* 12

Iubet à ſceleſta vita abſtinere, aut à ſanctis myſterijs.

*PLerique ſanè (nam omnes dicere nimis durum eſſet) validè, atque adeò acerbè te-*

mordēt, ac ſubſannant: atque vtinam falsò. Poſteaquam verò frater tuus germanus cum lachrymis, & planctu talia, ne dicam grauiora nobis narrauit, rogans enixè, vt ſi id fieri poſſet, ex barathro libidinis te extraherem, in quo malo, itidem, vti capite, iam incanuiſti. Ego igitur ſpreto illo præcepto, quod deſperatis, & conclamatis manum admouere vetat, ad te ſcripſi, vt ad temetipſum redires, & impudicitiæ tuæ dedecus, & ſenectutem, in quam vergis, & diuinum illud ſacerdotij munus, in quod neſcio qua impudentia te ingeſsiſti, cum animo tuo perpendens, & præſentia probra atque offendicula, & futurum ſupplicium pertimeſceres, qui omnibus ſceleribus coopertus in ipſo etiam ſenii, vitæq; limine iuueniles libidines ſectaris. Quomodò enim iuuenibus temperantiam perſuadebis, ſi ne tibi quidem ad extremum vſque ſenium perſuaſeris? Quin horres, vererisq; talia committere, & ad altare accedere? Quomodò immaculata tangere audes myſteria? Hortor itaque te (etſi enim doleat, veritatem tamen liberè dicam) vt vel committere huiuſmodi deſinas, vel a venerando Altari abſtineas; nequando ignem de Cælo capiti accerſeas tuo, qui improbis, & ſocordibus loquendi ea, quæ volunt anſam, occaſionemq; præbes.

Eidem. 13

Hominem deſperatæ malitiæ, vt conclamatum, ſuo relinquit genio.

*AVdio virum ſapientem in te incidiſſe, qui corrumpi pecunia nequeat, virtutisque perſtudioſum, nihilque, quod ad tui correctionẽ pertineret, intentatum reliquiſſe; remiſſum tamen abs te infecta re, neque prodeſſe quidquam tibi potuiſſe, quòd morbi tui vis maior omni eius medendi ſcientia apparuiſset. Decebat tamen te rationum, ſententiarumque pulchritudine illectum, & admiratione intelligentiæ ipſius, & reuerentia prudentiæ ab improbitate temperare. Te verò non ſolùm re infecta illum remiſiſſe, verùm etiam cum iniuria profligaſſe intelligo. Quid igitur cenſes faciẽdum? Si enim nemo quidquam te iuuerit, imò & adhortatio contemnitur, & vulgi riſus ſpernitur, & plurimos abs te offendiculo lædi nihili æſtimas, nec Dei metus locum apud te inuenit, rides etiam diuini iudicij minas, fruſtrà lapideum cor verbis obtundimus.*

Conſer 140. et 147.

*Aedeſio*

*Aedesio Remp. Gerenti.* 14

A militia dehortatur, quæ nec pietatis, nec virtutis defendendæ causa geritur.

*QVandoquidem animo ira incenso bellum quoque vnà incenditur, extincta autē ira bellum non statim extinguitur, nunquam te in sæua, difficiliaque bella immittas, præsertim cùm pietatis, virtutisque non agitur negotium. In his etenim ad sanguinem vsque pugnandū, neque hæc aut illa prodenda.*

*Ischyrioni Scholastico.* 15

Arrogantiam dissuadet.

*ANimi magnitudo, cùm nō ad audaciam, sed ad humanitatem, benignitatemque tendit, arrogantiæ, ac seruilis indolis speciem omnem effugit, neque turpe decoro permisceri patitur.*

*Petro.* 16

Confer 140. et 147.

De Eusebij vitijs.

*ETsi, vt scribis, sub Eusebij tyrannico dominatu aliam causam nemo agnoscit, cur*

*viros*

viros bonos perditum eat, præter ipſam virtutem: ſententia enim iudicium anticipat, futurique iudicij recordatio ijs, qui memoriam eius refricant, perniciem accelerat. At caue flocci facias, neque enim permittet Dei ille oculus omnia intuens virtutis gloriam à vitio ad extremum vſque obſcurari, imò faciet, quæ & ſe deceant, & virtuti, ac vitio meritò debentur.

## Cyro Scholaſtico. 17

Parua peccata præſcindenda, ne magna euadant, deque oculorum continentia.

SCito exiguum in ſpecie vitium ſerpendo grandius fieri: nam illud, Quid tum poſtea, uitia in uita fecit inoleſcere. Plerique enim nihil exiſtimãt eſſe, ſi alienam pulchritudinem nimis curioſo oculo adſpicias: atque fornicationes hinc, familiarumque interitus enaſcuntur. Taceo enim adhuc à nobis, etiam antequã opus ipſum deſignetur, vti mœchum puniri, qui libidinosè adſpicit. Taceo autem quoniam tecum mihi res eſt, qui ſacris litteris fidem nullam adhibes. Demoſtheni autem libenti animo te credere dicis; ſcito igitur bone vir, ne oratorem quidem ipſum, id ignoraſſe, ſed aperta voce affirmare: quotidianam, inquit, ſegniciem ac ſocordiam,

Prouerb.

Ex ora. 4. in Phi lip. cordiam, vt in priuata vita, sic etiam in Vrbibus, non in singulis, quæ negligũtur statim animaduerti, sed in summa rerum occurrere. quare si illum fide dignum duxeris, saltem ab eo tibi persuaderi sinas, & parua peccata reseca, ne maiora succrescere incipiant.

*Esaiæ militi.* 18

## Ex suo quisque animo de alijs iudicat.

PLerique mortalium ex suo ingenio etiam de alijs iudicium ferunt, qui enim pecuniæ habendæ cupidus est, neminẽ putat esse, qui opes contemnat, lasciuus verò, & impudicus continentem neminem: Immanis & Crudelis nullum credit humanum existere: neque auarus misericordem aut liberalem. Contra verò temperans multos sui similes esse censet, similiterque & opum contemptor, ac homo humanus. Quamobrem nihil miramur te contra omnes iudicare, contra quem omnes iure, vt aiunt, cõtrariam quoque sententiam ferunt. Consentaneum enim est, & idem tibi vsuuenire.

*Eidem.* 19

Insurgendum semper contra vitia animi, sæpè enim iam victus victor euasit. Confer 167. et 554.

*MVlti prolapsi, ac denuò resipiscentes trophæa de victis animi affectibus constituerunt: à quibus antea victos se professi erãt. Si itaque & tu sæpenumerò offendisti, strenuè iterum contra animi affectus insurge.*

*Petro.* 20

Orator non semper persuadet, propter liberum audientis arbitrium. Simil. 219. 250. 442. 521. 547. 568. 569.

*IGnorare mihi videris, ò bone vir, non tantum valere prudentiã dicentis aut eloquentiam admonentis, vt peccanti pudorem incutiat, quantum proba indoles eius, qui admonetur. Suasionem enim admittere, vel repudiare in eius arbitrio, atque potestate situm est, quod si non credis, vno exemplo vtar, cui aliud nullum opponere licebit, eoque te conuincam. Quis enim, amabò, aut diuino verbo eloquentior? Aut quis ipsa sapientia sapientior extitit? quæ tot tãtaq; protulit, & lenia, & acria, vt Iudæ proditoris auaritiam compesceret, & nihil tamen*

fecit,

*fecit, idque non ob ſuam imbecillitatem, ſed quod audiens iſta Iudas propter arbitrij libertatem, ſuam in poteſtate haberet ſententiam. Qua de cauſa iuſta, rataque eſt condemnandi ratio. Quæ cum ita ſe habeant, laude dignus eſt, qui quantum in ſe eſt, facit ſedulò. Vituperationem contrà, ac reprehenſionem meretur, qui bona ſuadenti non paret: is verò ſtultus eſt, qui in eum, qui non perſuadet eius, qui ſibi perſuaderi non patitur, crimen transfert, vtpote diuinarum, humanarumque rerum ignarus, conuertit.*

*Leontio Epiſcopo.* 21

Vide ep. 37. et 126 Quæ malorum in Eccleſia Dei fons, & origo. Vbi veterum ſacerdotum cum æui ſui elegans comparatio.

N*On paucæ profectò, vt ad me ſcripſiſti, in Eccleſiis turbæ ſunt excitatæ: Vbi enim pacis nomen, ibi res bellicæ regnant. Id verò multis, grauibusq; eorum peccatis, quibus alios docendi munus incumbit, eſt imputandũ, quæ nunc non ſingulatim excutiam. Vnũ dumtaxat, quo ſpectant cætera omnia, commemorabo, rem maximi momenti, venerandam, atque illuſtrem, & quod Apoſtolorum cœtus luminaria*

ria paſsim per orbem terrarum conſtituit, cuius neglectus nũc confuſione Eccleſias repleuit, quid tandem id eſt, dicam liberrimè, neque enim aliter facere queo; quia tùm tẽporis homines virtute præditi ſacerdotio ſunt admoti, nunc verò auari ac pecuniæ cupidi; tunc qui munus hoc ob dignitatis magnitudinem defugiebant, nunc verò, qui vltrò illi muneri ob deliciarum copiã ſeſe obtrudunt: tunc qui voluntaria paupertate gloriabantur, nunc qui habendi cupiditate ſpontanea, quæſtum faciũt; tunc quibus Dei iudicium ante oculos verſabatur, nunc ij, qui de eo ne cogitant quidem; tunc flagra perpeti, nunc verbera infligere parati, ſed quid pluribus eſt opus? Recidiſſe iam omnino Sacerdotij dignitatem ad tyrannidem, ab humilitate ad ſuperbiam; à ieiunio ad delicias, à diſpenſatione denique ad dominium prolapſam apparet, non enim, vt diſpenſatores adminiſtrare rem volunt, ſed vt domini ſibi propriam vendicant. Hæc verò non in omnes dicta ſunt, ſed in reos ac ſontes; ſunt enim, ſunt, inquam, qui ad Apoſtolicam viuunt normam, mutire tamen non audeant: licet etiam hoc ſolo nomine vehemẽter ſint improbandi, quòd improborum multitudinem veriti, quod officij ipſorum eſt, nempe huiuſmodi corripere, id negligunt.

Danieli

*Danieli Presbytero.* 22

Vt & seq. ep.

Ignoſcendum etiam non poſtulanti.

*ETſi is, qui excuſare ſemet apud te debebat, neque veniam à te poſtulet, neque ea de re ſit ſollicitus; numquid & tibi excuſationem hac re paratam cenſes, quod commiſſorum in te veniã illi non conceſſeris, tu verò etiã non roganti, aut efflagitãti veniã hanc indulge: ſiquidẽ fieri poteſt eum ad te accerſens: ſin id nequit, in animo tuo, illi remitte: neque eos imitari videaris, qui vindictam expetunt, ſic enim, & ille ob egregium hoc vitæ tuæ inſtitutum, pudore confuſus, de ſemetipſo vindictam ſumet, quippe qui hominem ſanctũ offenderit.*

*Theodoſio Epiſcopo.* 23

Vide ep. 483

Vt deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.
In magnis vel voluiſſe ſat eſt.

*SVccumbere ijs rebus turpe nõ eſt, quas exequi arduum ſit, ac perdiſſicile; caue igitur ſuperatos credas, qui tuis laudibus prædicandis dignum adferre nequeant præconium, ſed voluntate probata imbecillitati ignoſce. Cùm enim melius eſſe exiſtimant mortales, minus*

*minùs dixiſſe, quàm negligentiæ, contemptuſq; crimen ſuſtinere, rem quamuis arduam aggredi audent.*

*Zoſimo Presbytero.* 24

Qui bis ad eundem impingit lapidem non meretur veniam. Conf. ep. 567

*NVperum illud tuum delictum, ſpecioſus quidam prætextus excuſare videbatur, quòd fratrem defendere exiſtimareris, hoc verò crimen nullum talem prætextum admittit, imò & priore venia excidiſti. Si enim nuper ob iniuriam fratri tuo illatam temet vindicaſti? qua ratione quem tunc, vti aſſeris, propugnabas, lædere nunc, atque omnibus modis exagitare, ipſum minimè erubeſcis? Manifeſtum ergo hinc euadit, & illud data abs te opera commiſſum. Qui enim fratri non parcit, quomodò is alteri parcet?*

*Hieracioni* fortè *Hieraci Diacono.* 25

Quis verus mundus muliebris?

*NEque textilis purpuræ flos, neque radiãtes vario ſplendore gemmæ, auro diſtinctæ, ornatum, mundumq; muliebrẽ conſtituũt. Multæ enim illepidæ matronæ huiuſmodi decorẽ captantes, inuiſæ atque odioſæ coniugibus*

 *euaſere.*

*euaſere. Animi verò ornatus, qui ex virtutibus componitur, & conuictus deſiderium excitat, ac mutuæ beneuolentiæ philtrum eſt.*

*Polychronio.* 26

Anima virtutis ſtudioſa facilius Dei opem impetrat.

*VT in vrbibus ſitus commoditate, anni quoque temporum oportunitas conciliatur, ita & animorum erga virtutem ſtudium atque propenſio diuinum auxiliũ conſequitur.*

*Archontio Presbytero.* 27

1. Cor. 9 25. Si athleta laborat, quidni Chriſti miles?

*SI qui acutis mũdanæ laudis ſtimulis agitantur, ingentes vltro labores amplectuntur; nonne multò magis eos qui acutiſsimis cæleſtis gloriæ telis vulnerati ſunt, magna alacritate, ad laborum certamina ſeſe accingere par eſt?*

*Didymo Presbytero.* 28

Fratrem amici laudat, & ad quatuor capita per epiſtolam quæſita reſpondet.

*APhrodiſio beatæ memoriæ fratri tuo, dignitate ſacerdoti, pudor in oculis habitabat, ſuada in labris ſedebat, ſapientia in-*

*lingua,*

*lingua, frugalitas in ventre, cōtinentia in partibus quæ ſub ventre: vtque paucis dicam, omnium ferè uirtutum promus, condus fuit: ad cæleſte itaque regnum præmiſſus, laboribus dignam accepturus mercedem, minimè quidem deplorandus eſt, quin potius ei gratulandum, quòd certaminis præmia iam ſit conſecutus. Quiſquis enim exceſſum hunc Sanctorum virorum lugeat, is ſanè dignus eſt, vt ab omnibus rectè ſentientibus lugeatur: vt & is qui victores, & corona cohoneſtatos deploraret, lachrymis ipſe eſſet dignus. Et hæc quidem hactenus. Scias itaque ſolas virtutis opes in tuto collocatas eſſe, vbi is qui poſsidet nec ſocordia prodit, nec honorum cupidine ambituque flagrat. Extremam enim hanc audaciam eſſe non tu modò, ſed & ego iuxta tecum cenſeo, eos qui nullos vnquam athleticos labores exantlarunt, etiam inter victores coronatos velle haberi; qui nec tyronibus veris adſcripti, magiſtrorum ordinem inuadere conantur, quorum locus mores, nō mores locum ornant. Precio enim dignitates ſibi comparant, vt virtutibus ipſis dehoneſtamento ſint, atque de ijs dicere nituntur, quæ nunquam didicerunt, audent ea præcipere, quę ipſi nunquam ne fando quidem audierunt. Quis igitur ſub huiuſmodi præfectis magnum*

*quid atque generosum agere, aut intelligere poterit, imò quem non pudeat viris nuper, et heri adhuc in cauponis, & foro versatis aures præbere? quis aduersariorũ nõ rideat, et histrioniã, mimumq; totã rem existimet? Verùm cùm litteris tuis rogaris, ecquid tandem facto sit opus, nihil aliud respondeo, quã virtutẽ esse exercendam, & quiescendũ, Deiq; iudicium expectandũ, & diabolicas interim artes repellẽdas. Nouit enim versutus ille humani generis hostis, qua assentationibus, qua imposturis atq; fraudibus homines fascinare. Potissimũ cùm è directo oppugnare nesciat: illo enim modo facilè deprehenderẽtur: sed amicitiæ larua sæpenumerò malitiæ suæ venenũ tegit. Sicuti enim hominẽ Deo adæquaturus brutis reddidit miserabiliorẽ; nec præsentibus modò bonis eũ, commodisq; spoliauit: verùm etiam mala quibus carebat ei cõciliauit: puta sudores, ac labores, mortẽ, et interitum. Sed cùm multi illius dolis irretiti suo exemplo ostẽderint artes eius violẽtas admodũ esse quibus mens sana est, et queis salus sua cordi, machinas eius omnes inuestigare, ac quoad eius fieri potest, euitare decet: maximè cũ amicitiæ specie inescare homines studet: Tunc enim perceptu, atque expugnatu, difficilis est. Quando verò de dogmatibus etiam significasti, scito*

Genes. 3.5.

*audisse*

*audisse me aliquãdo ex viro in Euangelistarũ sensu eruendo admodũ sagaci, quòd verum Filij nomen astu peruerterunt, quo nomine Filiũ Dei, non esse Creaturam conuincitur, dixerunt enim.* His qui credũt in nomine eius dedit eis potestatem Filios Dei fieri, *item*, quidquid petieritis in nomine meo accipietis. *Inter cætera verò, quæ multa sunt Dei nomina, maximè proprium est*, Filij Dei, *appellatio ostendens verum esse ac genuinum: ac Creaturæ sensum omnem intellectumq; excedens. Clarum itaque euadit appellantibus eum Filium, datam esse gratiam: refugere contrà ab his, qui Creaturã esse audent asserere. Sed cùm de politicis quoque rebus, omnia simul discere cupiens, respondeo breuiter: gentilium sapiẽtes, qui orationis maiestate, atque in magnam apud omnes laudem obtinuerunt, dum quid iustum, quid decorum, quid legitimum, quid honestum constituere voluerunt, ingẽti verborum copia frustrà insumpta, atque prolixis dialogis, labyrinthi in morẽ contextis, tantum abest, vt quidquã eorum, quę dicenda erant, protulerint, vt lectores etiã magis, magisq; confundant, atque cõturbent. Verbum verò illud Dei diuinissimum, cùm inter nos conuersaretur, insitam hominibus rationem renouans, & suam sibi vniuscuiusq; voluntatẽ*

Ioan. 1. 12. Matth. 21. 22. Marc. 11. 24. Ioan. 14. 14.

*iusti, recti, æqui, & honesti regulam, limitemq; constituens, paucissimis idipsum verbis aperuit, dum dixit:* omnia quæ vultis, vt faciant
Matth. 7. 12. Tob. 4. 16. Luc. 6. 31. homines vobis, & vos facite illis, *deinde ne nouam, nec alibi scriptam legem contra scriptã proferre videretur, obsignãs ea, quæ dixerat, & omnia breui hoc cõpendio se complexũ ostendẽs*
Matt. 7 *addit:* Hæc est enim lex, & prophetæ. *Habentes ergo in nobismetipsis omnis recti, honestiq; regulam, quidquid nobis ab ijs fieri volumus, idem quoque illis à nobis præstetur. Tum, & illud scito; quòd qui creaturarum præstantia, & pulchritudine, non ad pietatis argumentum vtuntur, verùm ad offendiculum, & peccatum*
Rom. 1. 23. *abutuntur (nam non solùm non cognouerunt Deum creatorem, sed & illis cultum diuinum impendunt:) Hi sapientes se esse rati, in ignorantiæ pelago naufragium fecerunt; Cùm enim creaturæ vnum artificem prædicẽt: (neque enim sine architecto domus exædificatur, neque sine fabro nauis compingitur, neque sine harmonico musicum instrumentum concinnatur) illi in ipsam potius opificis artem, quam creaturas eius artificio productas peccantes, creatorem ipsum quasi proscribũt. Apud huiusmodi ergo meritò etiam ipsa ciuilium rerum administrandarũ ratio corrupta est. Cùm enim*
*princi-*

*principem vniuersi, ex anima sua eiecerint, quodcumque tandem iniustitiæ, atque improbitatis genus audacter perpetrare non dubitãt. Cùm verò de illustribus quoque & dignitate conspicuis interroges, sciàs Dei Verbum, neminem illustrem dedignari, si ex rationis præscripto vitam suam moderetur, si autem verbis dumtaxat philosophetur, operibus verò professione sua indignum se ostendat; huiusmodi hominem non sine ratione ipsa quoque ratio, verbumque Dei reÿcit.*

## *Zosimo, Maroni, & Eustathio.* 29
### A luxu dehortatur.

*NImia ac continua luxuria cùm ad amorem præter naturam præparat, tùm omnem corporis sanitatem iuxta, atque animi ingenuitatem lædit. Ab hac itaque abstinete, nec ieiuniÿs, sed moderati cibi vsui, hoc est, veris delicÿs assuescite. Sic mala illa, de vobis apud omnes euulgata cessabit fama. Sin verò in libidinis abyssum vosmetipsos præcipitetis, malè de vobis loquentibus nolite indignari: quin proprium potius luxum condemnate, non vestro, vt ferunt, proprio sumptu apparatuque instructum, (quippe circumciditis impensas) quam quòd aliorũ mensis vos ingeratis. Quòd*

*si hanc caliginis nubem dissipabitis, temperantiæ venustatem, quæ nunc oculos vestros subterfugit, tunc perspicietis.*

*Hermogeni, Theodosio, et Aeliano Episcopis.* 30

A virtute tres commendat Episcopos.

N*Isi excellens vestra virtus, meam coargueret orationem, & apud eos qui modò sunt; (plura enim ipsi norunt;) & apud eos qui postmodum futuri sunt; (maiora enim sunt quã vt fidem apud eos inueniant:) ad dicendũ vtiq; in arenã, et campũ vestrarũ laudũ descenderẽ.*

*Palladio Diacono.* 31

Conf. ep. 142 Ostentationis non scientiæ causa sacris litteris incumbenti responsum denegat. *Ne sanctum det canibus* contra Christi præceptum.

C*Omplures sanè affirmant, te, nõ quod rectè viuas, sed quod vitia tua obtegere velis, dum simulato discendi desiderio laudem affectas, viros sapiẽtes sectari. Ego quidem idipsum haud dixerim; veruntamen experimento edoctus, quòd scripturarum arcana te perscrutari simulas, non cognoscendi studio, sed vt existimationem aliquam apud homines tibi comrpares, non respõdebo tibi, diuino illi oraculo obtempe-*

*temperans, quòd præcipit,* sancta non esse danda canibus; *nec margaritas porcis obijciendas.* Matt.7.6.

*Isidoro Diacono.* 32

Laudat Ioannis Chrysosthomi in Pauli Epistolam ad Romanos Commentarium.

*IN cõmentario Epistolæ ad Romanos potissimùm (ò Isidore mihi cognominis,) sapiẽtissimi Ioãnis sapientia, thesauri instar, recõdita est. Sic enim existimo, necquis quam ad gratiã hic me loqui putet, si diuinus Paulus Attico vti sermone voluisset, quo sui ipsius interpretem ageret, nõ aliter interpretaturum fuisse, quàm vir venerandus, quem dixi: adeò enthymematis, & sententijs, atque elegãtia, & proprietate orationis hæc eius interpretatio exornata est.*

*Eidem Isidoro.* 33

Laus sancti ac diserti Doctoris, fortè eiusdem Chrys.

*INcidi aliquando in sanctum virum, cuius docentis oculi maiestatem ac sapientiã præseferebant. Aculeos enim plurimos infigebat dicendo: superciliũ verò oculorum, mentem eorũ, quæ docebat exprimebat. Is quantus, quantus est, vt ita dicam, nihil nisi vtilitatem spirabat; cùm vel spectantibus vehementem sapientiæ instillaret amorem.*

*Zosimo,*

*Zosimo, Maroni, Palladio, & Eustathio.* 34

Improbos reprehendit, quod bono maledixerint.

*CVm audissem vos feras ipsas immanitati superantes, & pacem omni bello peiorẽ inter vos pactos, mitem ac placidũ hominem, qui sibi alijsque prodesse consueuerit, contumelijs proscindere non fuisse veritos, talia in eum dicentes, qualia vosmetipsos audire æquum erat, vberrimis sanè lachrymis vos deploraui, quòd malos, atque improbos vos esse ignoretis, quod vt discere tandem velitis, obsecro.*

*Dionysio.* 35

Suadet oratori vt virtutem quam verbis possit, re ipsa etiam exornet.

*AVdio apprime te callere nouæ alicuius gloriæ vmbram aucupari, & opinionem nequaquam tibi conueniẽtem acquirere. Si igitur opinio virtutis præclara tibi videtur; cur non ipsi potius virtuti das operam, sed fructu*
Isocr. Arist. *neglecto, folijs te exornas. Quamuis enim radix propter labores amara quibusdam videatur, fructus tamen dulcis, & iucundus est.*

*Nemesio*

*Nemesio.* 36

Hortatur ad studium paupertatis. Diuitiæ vt statua Babylonia non adoranda.

*OMnium illos ditissimos censemus, & regibus fœlicitate præferendos, qui pedibus diuitiarum cupiditatem conculcarunt: quibus adnumerari omni ope aduitemur? tametsi enim plerique tyrannidem eius velut statuam Babyloniam adorauerint, nos tamen trium puerorum continentiam imitati, etiamsi tubarum ac tibiarum sonitus, totiusque musicæ artis concentus ad cœlum vsque elatus aures nostras circumsonet, & fornax paupertatis accendatur, ne tympanis attendamus, nec tibijs, neque reliquis diuitiarum phantasmatis. Sed licet in caminum proijciendi simus, paupertatem eligamus, ne illas adoremus, eritque hæc nobis philosophia, hic quidem veluti ros in medium destillans, omnemque libertatem nobis procreans: istbic verò patientiæ coronas pariet.*

Dan. 3. & 4.

Dan. 3. cap. 4.

*Leontio Episcopo.* 37

Contra malos presbyteros, quique eorum exemplo se excusant.

*Conf. ep. 21.*

*SIquidem subditorum quosdam improbitas inuaserit, id quidem, vt verũ fatear, licet*

*sua*

*ſua natura graue ſit, non tamen vſque adeò graue eſſet. Cùm verò malum in deterius ſerpens etiam ſacerdotali ordine nonnullos depaſcatur, idq; vti ſcribis (quod malorum caput, omniq; damno grauius eſt) defenſionem excuſationemque neſcio, qua ratione ſubditis pariat. Audiant ergo, qui talia dicunt, nec malorum ſacerdotum moribus, ſed præceptis, vitam ſuã conforment. Incorruptus enim ille Iudex excuſationem iniuſtam nõ recipiet, ſed dicet: Quam multi fuerunt optimæ exiſtimationis ſacerdotes, quibus decuiſſet mentem adhibere, ac vitã, moreſq; veſtros emendare. Vos autem cùm deprehenſi, conuictiq; teneamini, quod malitiam adamaueritis, eò quod peccantium nõ rectè viuentium exempla tàm ſedulò inſpexiſtis; & ipſi pœnas peccatis ſuis condignas dabunt, & vos quia virtute repudiata improbitatẽ eſtis amplexi, neque regni cœleſtis deſideriũ, nec gehennæ timor ad præcepta mea obſeruanda vos permouere potuit; idcircò æternam luetis pœnam.*

Dan. 3. & 4.

Dan. 5. cap. 4.

*Abrahamo Epiſcopo.* 38

SS. litterarum ſtudium, virtutis amorem gignit.

V*Ehementer ſupinam plerorumq; negligentiam miror, quòd cùm homines generoſi,*

rosi, atque admirandi labores virtutis causa libenti animo suscipiant; illi ne sermones quidem, quibus ad virtutis laborem excitari homines solent audire velint. Quis ergo credat eos sudores pro virtute reipsa subituros, cùm sermones quidem de virtute æquo ab ijs animo admitti videat? Hortare itaque istos de quibus ad me perscripseras, vt sacræ Scripturę lectioni, sedulò incumbant: hinc enim cognitio, & scientia paratur.

*Isidoro Diacono.* 39

## Multiplices tentationum fructus.

Conf. ep. 226

MVlti qui fortes, atque generosi videbătur, ne primum quidem impetum, & velitationem tentationum sustinuerunt. Vbi ergo reipsa apparuit eos sola opinione, non autem re, atque factis fortitudinis existimationem apud spectatores adeptos, demiserunt supercilium, atque ideo, vt existimo tentari quidam permittuntur, vt ab opinione illa, qua magni, & inexpugnabiles sibi videbantur, curentur, & ad modestiam reducantur. Neque enim exiguum illud animæ beneficium est, vt persuasio, & opinio illorum, qui ne experimentum quidem, ne dicam certamen sustinere queunt, extinguatur. Qui enim

post

*post multa trophæa vincitur, veniam fortè meretur: at qui in prima statim velitatione succumbit, is extremum imbecillitatis vel negligentiæ potius specimen edit.*

*Tauro Præfecto.* 40

Hortatur vt Reipub. onus cum pluribus bonis communicet.

*ID probè noueris, ô solertiæ oraculū, si amicorum optimos, homines, inquam, veritati quasi innutritos, & pecuniarum contemptores, imperij participes feceris (periculosum enim vt plurimùm est, tantam negotiorum molem vni tantùm incumbere) virtutem eorum, quos tibi adsciueris, imperium in aristocratiam commutabis.*

*Lampetio Diacono.* 41

ep. 4. Regnum Cœlorum inculcandum.

*RES diuinæ homini animali stultitia videntur. Qui enim prius sibi persuaderi non patitur, esse reuera regnum aliquod cœlorum, in illo amor eiusdem nullo modo excitari potest.*

*Alypio*

*Alypio Remp. administranti.* 42

Pœnæ lentè sunt exigendæ. ep. 267

*GRaue est, non quòd tardius is pœnas dedit, qui te, vt scribis iniuria affecit, sed potius eum, qui citò nimis pœnas persoluit, postea iniuriam non intulisse videri, quod sæpenumerò accidit. Quamobrem ne festines pœnas ab eo exigere, sed expende diligenter, an reuera iniuria te affecerit. Ex cunctatione enim nihil periculi imminet: sed si ab homine qui nulla te iniuria læsit, pœnas exigas, ex festinatione illa ingens accidere detrimentum poterit.*

*Dorotheo viro clar.* 43

Ingens supplicium, & Tolerantia in hac vita non concurrunt, sed in futura.

*IN hac quidem vita, vir optime, simul concurrere non possunt, ingens suppliciorum cruciatus, & tolerantia. Alterum enim alteri repugnat, quod natura corporis interitui obnoxia, vtriusque non ferat cōcursum. Isthinc verò in altera vita, perpetuitate introducta, pulsaq; corruptione, pugna hæc dissoluetur, ita vt*

*nec tormentorum vehementia robur, viresque corporis tollat, neque corpus in nihilum redigatur.*

*Sereno Diacono.* 44

ep.413 Virtutem multi laudant pauci sectantur.

V*T plerique mortalium sanitatem corporis maximum esse bonum existimantes, non magnopere tamen eam curant (suauia enim vtilibus preferentes valetudinem ledunt:) sic & virtutem quidam laudantes, viam tamen que ad eam ducit, declinant.*

*Anatolio Diacono.* 45

De bono vini modicè sumpti.

V*Inũ si opportunè ac moderatè sumatur, quasi bonore affectum lætitie causa existit. Si verò intempestiuè largiusque hauriatur, vlciscitur iniuriam, & pœnas exigit à quibus iniuriosè fuit exceptum, risum, ignominiam, opprobriumque, atque adeò verbera iisdem propinans.*

*Paulo Presbytero.* 46

Oculos, vt animi fenestras custodiendas.

N*On corpus modò intactum, purumque, sed & oculorum iactus (ideo enim* κόσμιος

*id est*

*idest puellas, pupillas appellamus) virgines, castosq; decet esse, neque permittendũ ipsis, vt impudicè atque intemperãter aliena pulchritudine pascãtur, ne ex cõspectu actui ipsi assuescãt.*

*Eugenio Diacono.* 47

Virtutem amanti, hominum contemnenda opinio.

*QVandoquidem è litteris tuis sententiam tuam diuinare oportet, sentire mihi videor, te labores pro virtute cum voluptate sustinere, & fructus eius maximos existimare; paucula verò te scripsisse animaduerto, quòd infelicem te ab hominibus censeri doleas. Nescis enim te, illa indignè ferre, de quibus par erat lætari: si enim non dubitas, quin pro studio, affectuque erga virtutem, magnus te apud Deum fructus maneat, ecquid hominũ te suspicio perturbat? etiãsi huiusmodi suspicionũ causam illis dederimus. Quòd autẽ ita sentiãt facillimè ostendã. Si enim vel soli tibi eorum, qui virtuti dant operam id accidisset, ne sic quidem vera hæc suspicio foret; haberent enim impudẽtiæ vmbram, qui bonos, honestosque oderunt; verùm si nec primus, nec solus in hasce calamitates incidisti, sed optimus ferme quisque, non modò apud Christianos, sed (si omnes comple-*

*cti fas est, & hæc animi demissio extinguenda) apud Iudæos quoque olim, & Græcos, ac Barbaros; quid contristaris? Si enim illi tanquam generosi Athletæ, plagis onerati, & vulneribus confecti, & sanguine vndique perfusi, & cum ipsa morte ad finem vsque luctati fuerunt: quid tu animi abiectione temetipsum lædis, & aduersarium fortiorem reddis? Idem enim facis ac si diceres. Cur spectatorum neminem aduersarius vulnerat? Sed illum duntaxat, qui nomen professus in stadium prodit? Noli itaque tristari, quod talia patiens, qualia perpessi sunt ij,* quibus dignus non erat mun-
Heb. ii. 39. 2. Cor. 1. 7. dus, *sed lætare, quòd vti certaminum es consors, sic & gloriæ, & præconij quoque particeps sis futurus.*

*Harpocræ Rhetori.* 48

Iniuriam maledictis vlcisci non oportet sapientem.

P*Ræstat quidem contumelia affectum cum silentio tolerare, ac sapientiæ studiũ reipsa exercere. Non malè tamen à te quoque factũ, postquam enim à flagitiosis hominibus à Simone, inquam, Zosimo, Marone, Eustathio, & Martiniano malè es acceptus, & nimis durum fore*

*fore existimares; illos iudicij sententia puniri; contrà verò concoquere silentio abiectum nimis videretur; orationis iudicio contumeliosos istos conuenisti, qui corpore pœnam metiri solent, quæ mordere quidem reos assolet, periculo tamen non inuoluit. Melius igitur iudicio scripti institutum quoad scribendum accessisti, auctorque tibi sum, vt & reliqua adiungas: hoc est, vt generoso animo ea perferas. Et linguam à maledictis liberam, puramque serues. Licet enim illi digni sint, qui hæc, & grauiora etiam audiant; attamen te ea dicere, non decet, cùm sacram habeas linguam.*

*Eutonio Diacono.* 49

## Laudandi boni sine ostentatione.

Anchoralarca Prou 8 spc 58.

C*Ertandum quidẽ pro virtutis alumnis, idipsum tamen nequaquam illis ostentandum, idque duplici de causa: primùm ne illi reddantur socordes, atque supini; tùm vt ipsi assentationis notam effugiamus. Quamobrem nuper nihil ad te scripsi, cùm verò aliorum consilio permotus ad me litteras dederis, quibus, & de silentio conquereris, & quæ gesta sunt accuratè scire aues. Scito quòd cùm maximo verborum fluxu patronum tuũ peroraret,*

*quippe qui è Rhetorum disciplina prodijt laudem, plausumque sibi apud omnes qui aderant conciliasset. Cùm enim ignorãtibus illis virtutem tuam, sed cùm pauca quædã (omnia enim fortè non potuisset) de egregijs tuis dotibus dixisset, in tantam mutationem rem totam adduxit, vt & ille cum rubore discederet, auditores verò palinodiam canerent.*

*Eidem.* 50

Spes non in terrenis, sed cœlestibus collocanda.

Q*Vi in Deo fiduciam suam collocat, is maxima, pulcherrima, & stabili spe nititur: qui verò in homine confidit, is* Ancho. ra sacra Prou 3. spe 58. *tenui, infirma, & dubia atque vt plurimũ fallaci fluctuat. Quocirca homines prudentes posteriori hac omissa, priorem illam, vt sacram ancboram amplecti decet.*

*Eidem.* 51

Otium Diaboli puluinar fugiendum.

V*Alde equidem miror eos, qui omnia, quæ communis omniũ hostis diabolus suggerit, libenter perpetrant, deinde quærunt vnde omnia adeò confusa, conturbataque existant. Si*

*enim*

*enim extremam, & incurabilem illam ſocordiam excuterent, certò ſcio illos eadem opera, huiuſmodi etiam quæſtiones reiecturos.*

*Harpocræ ſophiſtæ.* 52

De Monodia in improbos conſcripta.

M*Onodia illa abs te conſcripta in Martinianum, Zoſimum, Euſtathiũ, et Maronem vita quidem nondum functos, perpetuò tamen in flagitijs morientes, animasq; in corporibus, tanquam in ſepulchris defoſſas habentes; etſi verè, et ex eorum merito ſit conſcripta, nequaquam illis à me tranſmittetur, ne bellum in te concitem. Implacabiles enim, & intricabiles feras eos eſſe aiunt, ſi adhortatio fuiſſet, miſiſſem vtique, ſed quia nænia funebris eſt, idcircò non mittendam iudicaui; ſi verò omninò ita velis, ipſe mittas, vt ſi bellum irreconſiliabile conſletur, in alium eius cauſam tibi transferre non liceat.*

*Martiniano, Zoſimo, Maroni, Euſtathio.* 53

Mittit Monodiam in eos conſcriptam.

M*Onodiã vix quidã benè doctus, ſummaque præditus virtute in vos conſcripſit.*

*Est autem Monodia (nam & illud vos ignorare certò scio) simplex, & vniformis threnus, nec personarum, nec morum vllam fictionem continens. Quodque maius est, alij in eos, qui à philosophia recesserunt, funeris lessum concinũt. Hic verò vos vt improbos, ac malas pestes, quique nihil pœnitus de ipsa philosophia gustauistis deplorauit, & inducit vos omne vitiorũ genus dictum, indictumue patrantes, contenditque contrà, & affirmat nullam vnquam virtutis partem, ne per somnium quidem, vobis in mentem venisse. Quod verò maximum videtur, id ego non omittam, quòd quisquis in Monodiam hanc inciderit, vos vt belluas noxias, atque efferos dœmones, & communis naturæ hostes abominetur, ipsum verò auctorem reprehendat, quòd id aggressus sit argumẽtum, quod adsequi, et accuratè tractare nequiuerit. Adeò nequitia vestra omnem orationem, & scriptionem excedere omnibus videtur: vnusquisque enim prætermissum aliquod ab illo vitium vestrum reprehendens, victum illum existimat, qui flagitia vestra sermone adæquare fuerit conatus. Scelera enim vestra non venia modò, verùm etiam supplitio omni maiora credunt. Vos verò accusant, quòd nec aliorũ exemplis ad imitandum incitati, neque ipsi imitato-*

res

res reperturi, in tātam improbitatem ſitis prolapſi, quam nemo ne eloquentiſsimus quidem oratione adſequi valeat. Vos verò tot, tantiſq; ſceleribus perpetratis, quot nemo vel flagitioſiſsimus, & ob improbitatem nobiliſsimus vnquam commiſit, vel ſerò tandem, animum illum mutate.

Heroni Diacono. 54

Virtute inimicorum calumniæ vincendæ.

ACcuſationes quaſdam vita ipſa eorum, qui accuſantur refellere ſolet: ſæpenumerò enim vir bonus ſolo conſpectu, nec quidquam ad ſui defenſionem locutus, non ſolùm omnem accuſationem, & calumniam diſpulit, ſed & laudibus ornatus victor diſceſsit. Quapropter ſi pœnas ab inimicis exigere cupis, virtutem exerceto: laudum enim tuarum præmia, quæ ab omnibus texuntur, illis omni ſuppliciorum genere grauiora ſunt, atque acerbiora.

Agathodæmoni Grammatico. 55

Auaritiæ deteſtatio. Conf. ep. 67.

SIquidem nonnulli ex hiſce, quos diſciplinæ tuæ imperio regis, furoris rabieique pleni, in-

*ni, insolens quid, atque effrene attentarint: horum tu fræno, & duris ora lupatis compesce, ne in præceps ferantur. Si verò pecuniarum amore flagrare sentias quotidie illis occine: ecquis nouus hic, & absurdus auaritiæ furor est? Cui quidquid suppeditaueris id materiæ, ac fomitis instar habendi ardorem magis, magisq; accendit. Semper enim accipiens nunquam expletur, sed veluti hydra quædam multorum capitum mille faucibus cibum in ventrem inexplebilem demittens, tanto auidius eum appetit, quasi nihil adhuc acceperit. Ecquis igitur cordatus huiusmodi monstrum amauerit? quòd & in hac vita inexplebili auiditate amatorem suum torquet, & in futura in ignem inextinguibilem præcipitabit.*

*Dometio.* 56

Matt. 5 10. Beati qui persecutionem patiuntur.

B*Eatum eũ vulgò existimant, non qui nihil omninò molestiarum illarum expertus est, quibus mortalium vita est obnoxia (id enim fieri non potest) sed qui quam minimis vrgetur malis. Ob molem enim calamitatum, quibus plerique mortalium obruuntur, beatum pronuntiant, qui paucissimis premitur. Nos verò*

*verò (Christiani) hominem multa quidem perpessum, forti tamen animo tolerantem, longè feliciorem ducimus eo, qui pauca pertulerit. Nam ex certaminum numero, coronæ quoque texuntur, & præmia laboribus respondent.*

*Zosimo presbytero.* 57

A vitijs dehortatur ac nequitia.

PRobrum, piaculum, ac scelus, & quò non conuitiorum, è triuio, ò miser Zosime, nonnulli te vocantes, passim traducunt; quorum neque tempus, nec affectus obturare os queat, testantibus omnibus, qui audiũt, pauca illos ex multis, & honesta pro turpibus de te affirmare. Quare vide, quomodò silentium illis imponas. Impones autem, si ab insatiabili tua vecordia cessaueris.

*Epiphanio Diacono.* 58

Spes vitæ anchora. Conf. ep. 50. 271.

SPes illa in inuictam Dei omnia gubernantis dexteram, non solùm de futuris voluptatem parit, sed & præsentes labores subleuat: facilè enim quis certaminum labores sustinet, vbi coronarum spe erigitur. Si itaque

illa

*illa & in hac vita certat, ac pugnat, istbic verò coronis nos exornat, atque exhilarat, & cõspicuos apud angelos, hominesque reddit, complectamur eam, & vernaculam, familiaremq; nobis semper habeamus.*

*Theoni Presbytero.* 59

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.

N*On usque adeò id animum tuum stupore, & admiratione percellat, si Zosimus seruili, vt ais, genere ortus, superba ostentatione se iactet, nihilque moderati sapiat. Insperata enim prosperitas, insipientes ad proteruiam conuertere solet.*

*Hieraci Diacono.* 60

Amat victoria curam.

V*Alde nosmetipsos decipimus, falsaque vtimur ratiocinatione, si nihil eorum agentes, quæ vincere conantibus agenda sunt superiores nos fore speramus ijs, qui omnia agunt, quæ victuros agere decet. Idẽ enim est, & dormientes, stertentesque, vigilantes, ac satagentes vincere, & ignauos, atque socordes*

eos,

eos, qui nihil intentatum relinquunt, superare.

Marciano Presbytero. 61

Demonstrationis vis in argumentando.

EA quæ multa probatione, & longa indigent inquisitione, non affirmatione nuda, sed demonstratione declarantur. Opus enim probatione est, & ambitu, seu circumductione, atque demonstratione, vt perspicua possint declaratione illustrari. Si quis verò rem nudè affirmans se demonstratione vsum existimat, is extra doctorum contubernium eliminatur.

Ioanni Diacono. 62

Adulatio magis quam contumelia cauenda.

TAmetsi magistri ac parētes ab adulatione, vt summopere noxia & pestifera abstinentes, metum incutiant; illi quidem auditoribus, hi verò liberis; & nos si sanè sapimus, aßentatores magis auersari decet, quàm qui opprobrio, contumelijsque nos facessunt. Maius enim incautis adfert detrimentum huiusmodi laudatio, quàm contumelia, & difficilius illud vitium, quam hoc expugnatur.

Ἀνεπίγραφος. *Caret inscriptione.* 63

## Virtus sui merces.

*SOla virtus possessorem suum exornare sufficit. Nullus autem eorum qui in dignitate sunt constituti ex semetipso honorem habet, sed à subditis suis illum accipit; at virtutis studiosus in seipso proprium decus possidet, quòd eripi nequaquam potest.*

*Hieraci Diacono.* 64

## Victus, cultusque corporis qualis.

*QVi tantum comedit, quantum fami sedandæ satis est, atque ita vestitur, vt corpus honestè tegatur, is corpus pulchrum, vehiculum animæ adornat, & nauclero gubernaculum omninò tractabile, & militi cõgrua arma; & musico lyrã concinnam adaptat. Qui enim delicijs corpus saginat, ac vestibus nimium exornat, lasciuire idipsum facit, & peruersis, cupiditatibus accẽdit, & nimiùm emollit, bonamq; corporis habitudinem lædit, nimiaque illud mollitie eneruat, & ad oppugnandum animum excitat. Quamobrem vtroque imposterum abstineto.*

*Eidem.*

## Eidem. 65

Vitandus aſpectus mulierum, vt peccandi anſa. *In illud*. Matth. 5. 28. *Qui viderit mulierem*, &c. Conf. 139.

*NOn temere, ò bone vir, ſolus ille & vnicus cordium noſtrorum cõditor, præcepit: ne quis libidinoſè mulierem aſpiceret, ſed ab ipſa libidinum perpetratione hominẽ auertat. Quandoquidem longè facilius eſt, formoſam mulierem non adſpicere, quàm adſpectu eius vulnerato iaculum eximere; vulnusque perſanare. Idcircò idipſum præcepit, conflictus enim principio leuiores ſunt, imò verò ne conflictu quidem opus eſt. Si quis hoſti portas non aperuerit, & prima belli ſemina in animum admiſerit. Si igitur abſque vllo conflictu trophæum ſtatuere liceat, quid ſuperuacaneis tibimetipſi faceſſis labores? Neque enim tantum laboris requiritur, ne adſpicias, quãto opus eſt, ne adſpiciendo vincaris: imò prius illud, ne labor quidem eſt, ſed poſt adſpectum magna exiſtit difficultas. Cùm igitur maximum ſit lucrum, & labor exiguus, cur temetipſum in inſuperabile deſideriorum pelagus coniјcis? non enim minori tantum negotio, ſed & puri-*

*tate maiore ſuperat ille, qui non adſpicit. Sicuti enim aſpiciens fœminam plurimo cum labore, nec ſine aliqua macula euadet, ſi modò tandem euadat: ita qui non videt, ab ipſa quoque cupiditate purus permanet.*

*Ophelio Grammatico.* 66

## Non ea ſemper vtilia, quæ nobis videntur, ſed quæ Deo.

NOn continuò, *quæ prodeſſe nobis videntur, eadem expediunt. Multi enim cùm vicerint multos, victis quidem nihil intulerunt damni, ſed ſibiipſis peſsimè conſuluerunt: Quamobrem & ille à veritate aberraſſe mihi videtur, qui dixit:* Felix, cui cogitanti telum, quò cupit, cadit: *ita enim, ſi ſaperet, dixiſſe oportebat:* Felix, cui cogitanti telum, quò expedit, cadit: *Multi enim qui in re ampla & ſplendida fuere, inde in deteriora mala ſeſe præcipitarunt. Ob priora enim magno ſpiritu elati, maiori cum audacia poſteriora ſunt aggreſsi. Contra multi felici rerum ſucceſſu deſtituti, ſuo magno cum commodo fuere edocti, ne difficiliora negotia aggrederentur. Quocirca cùm ad diuinam id pertineat prouidentiam, & nouiſſe, & dare*

*ea, quæ conducunt, ab illa ea postulemus; & quidquid dederit boni consulamus, etiamsi aduersa esse videantur.*

Heroni Presbytero. 67

Auaritiæ detestatio.

VT is, qui continua laborat siti, etiamsi fluminibus, fontibusque adponatur, nullam percipit delectationem: cùm sitim restinguere non possit, sic etiam is, qui plura semper appetit, tametsi thesauros habeat infinitos, voluptatem numquam sentiet, eò quòd satiari nesciat. Qui verò quantum opus appetens, illis se finibus continet, numquam capietur hoc incurabili morbo, sed animi delectatione, gaudioque semper perfruetur, nec ab aliis affectibus expugnari poterit, quibus is, qui habendi amore laborat, capitur. Non enim multa possidere, sed indigere paucis, tutos, securosque præstat. Ille enim etsi nulla afficiatur iniuria, maximo tamen semper in metu est, vtpote iniuriæ excipiendæ expositus. Hic verò in primis iniuriam pati non potest, quinimò si passus videatur, melius adhuc, quã alij eandem non passi affectus erit, & magno gaudio exultabit, quia & rectè factorum præmium expectat. Conf. ep. 55

Eu-

*Eutonio Diacono.* 68

Conf. ep. 39. 226. De bono tentationis.

NE mireris neque ænigma esse existimes, quòd alias prædixi. Tentationes sæpenumerò graues, ac fœdas perturbationes sedare,

Dan. 3. & libertatem animo reducere. Quemadmodũ

ep. 36. 128. enim tres illos pueros, ignis non solùm non attigit, sed & ad vincula eorum dissoluenda subseruiijt, eum efficaciæ suum terminum præstitutum habens, vt ferrum absumeret: sic & tentationes ignauiam excutiendo, & ad vigilantiam adigendo, quamplurimos à peccatorum vinculis expediunt.

*Eidem.* 69

Conf. ep. 50. 58. Non in alieno casu, sed in propria virtute spes firmanda.

*DVbia quidem & fallax ea spes est, quæ ex alieno infortunio, non ex propria virtute pendet: huiusmodi enim spes facilè euanescet. At si quis ex semetipso, securitatis habeat pignora, decipi non poterit, & hostium insidias superabit.*

*Eidem.*

*Eidem.* 70

Sua contentum ſorte nemo lædere poteſt.

*NOn id ſtudeas, vt nemo quiſquam tibi noceat, ſed vt ne poſsit quidem nocere, etiamſi maximè velit. Id verò non aliunde obtingit, quam vt neceſſarijs contentus ſis, nec amplius quid appetas. Qui enim pluribus inhiat, is omnibus, & hominibus, & animi paſſionibus præda expoſita eſt.*

*Iſidoro Presbytero.* 71

Homo ſapiens, & cordatus omnem fortunæ habitum gerit decenter, quod Iobi exemplo probatur.

*VIri præſtantiſsimi pura, & ſanctâ mente rerum omnium naturam quoad eius fieri poteſt contemplati, moderatè omnes earum viciſsitudines ferunt. Vt enim egregij Tragædi, quamcũque perſonam cum admiratione, & plauſu ſuſtinent; ita etiam cordati homines, velut Athletæ in hac vitæ arenâ conſtituti, prout quidque ſeſe dederit, ita decẽter ſemet accommodant. Conſidera mihi celebrẽ*

*illum Iob, qui in diuitijs laudabilis, in inopia magnus inclaruit, qui cùm in illis fuißet admirationi, in hac multò magis exstitit admirandus. In diuitijs enim indecorè, in pauper. tate verò decenter, viui potest. At homines mente destituti, cùm malorum radicem inuestigare non possint, hos, qui nullo, aut exiguo admodum dolore affliguntur, infelicibus adnumerant. Cùm enim propriam animi mollitiem accusare deberent, res ipsas damnant.*

*Gennadio.* 72

Huius vitæ beatitudinem cum æterna conferri non posse. Oculus non vidit, &c. 1.Cor.2.9.Isai.64.4. Non sunt condignæ passiones, &c. Rom.8.18. 2. Cor. 4. 17.

*ETsi id quòd dicturus sum prouectiores te auditores desideret, dicam nihilominus: licet omnem simul omnium post homines natos beatitudinem sermone quis complectatur, & in vnum exaggeret, ne millesimam quidem partem futurorum bonorum adæquare reperiet, sed præsentia hæc etiam minimo illorum, multò magis dignitate cedere, quàm vmbra & somnium rebus verè existentibus. Imò potius,*

*vt*

*vt aptiori vtar comparatione, quantum corpori anima præstat, tantum & illa hisce antecellunt.*

*Heroni Scholastico.* 73

In Illud cuiusdam septem sapientum. Ne quid nimis. Quod Platonis loco confirmatur de Repub. lib. 8.

V*Nus è septem Græciæ sapientibus monuit:* ne quid nimis. *Plato verò Philosophorum princeps dixit:* nimium quid agere, magnam reuera solere in contrarium commutationem adferre, & in annis, temporibus, & in plantis, & in humanis corporibus, nec minùs in Rebuspublicis. *Vtrius sequendam potiùs sententiam censes. Sapientumne præcipui, an Principis philosophorum? Vtrique enim fidem temet adhibere par est: Ille enim admonuit, hic verò etiam causam protulit, cur admonitioni huic credendum.* Terēt. In Andr.

*Lampetio Diacono.* 74

Melior est ille peccans, qui scit se peccare, eo qui, cùm peccat peccatum ignorans, illo vt rectè facto delectatur. Conf. ep.159

I*S, qui alicubi peccans agnoscit se peccare, multò mihi melior videtur eo, qui peccat, nec*

*tamen se peccare agnoscit. Ille enim rect. [illegible], hic verò corruptum de rebus iudicium habet: ille ad pœnitentiam perducetur, hic sine dolore peccatorum extinguetur: Ille erubescet dum peccat; hic verò ne erubescet quidem; cùm se peccare nesciat? Hinc & ille, qui naturæ rerũ*
Rom. 1. 32. *omnium accuratus explorator, dixit.* Non solùm hæc faciunt, sed etiã consentiunt facientibus. *Rectè definiens, grauius esse laudare, quàm facere. Ille itaque ad resipiscendum exhortandus, in hoc verò sensus, & cognitio peccati excitandus est. Nisi enim peccatum quis cognoscat, peccare non desinet.*

## *Diogeni Diacono.* 75

ἀχαριστίας, ingratique accusat animi.

*NOn leuiter tibi succenseo, quòd emortua penitus sit apud te gratia, quam immortalem te seruaturum tùm, cùm beneficium peteres promittebas. Scito itaque vbi denuò in discrimen incideris, nullum te reperturum adiutorem. Necessum enim est adiutoribus eos destitui, qui beneficij memoriam nullam seruant.*

*Asclepio Sophistæ.* 76

Quis verè fortis?

*ILlum ego, verè fortem prædico, quem nec rerum aduersarum difficultas, nec hostium insidiæ superant. Cùm enim plerique mortalium istiusmodi capi, & inescari soleant; is me Iudice fortis est, qui nec ijs quæ voluntatem, consiliumque humanum superãt, superari facilè deprehenditur, sed & generoso animo perfert, & insidias in materiam gloriæ conuertit, nec ad seruiles adulationes, mollitiemque prolabitur, sed mentem hostium insidijs excelsiorẽ seruat. Cùm enim in secundis rebus molles etiam, & effeminati homines facilius prudentia vtãtur, aduersæ autem bonos probent, eum qui & secũdas res modesto, & aduersas inuicto animo sustinet, fortissimum esse pronuntio.*

*Martiniano, Zosimo, & Maroni.* 77

Hortatur vt à vitijs desistant, quæ tanta erãt, vt nec viui, videntesq; verbis ea exprimere possent, nec posteri credituri essent. *Conf. ep. 53. ad eosd.*

*SI ne peritissimi quidẽ, vt ferunt, dicendique arte exercitati vestras tragædias, pro*

*meritò traducendas suscipere audeant. (Verentur enim, ne apud eos, qui nunc viuunt reprehensionem incurrant, & apud posteros fidem non inueniant. Illos enim plura scire aiunt, quam ipsi de vobis enunciare queant; posteros verò minora vos flagitia cõmisisse, quàm quæ narrantur existimaturos.) Quænam incurabilis amentia tanto furore vos percitat, vt ea patretis scelera, quæ & nunc disertissimos infantiæ arguant, & apud posteros fidem non inueniant? Non enim facilè adduci poterunt, vt credant ea ab hominibus crimina admissa, quæ nec dæmones exitiales committere audeant. Nam qui nunc viuunt oculis suis scelera patrata cernentes, minus esse dicent vestris tragœdijs, quidquid dictũ fuerit; posteri verò vbi audierint, maiora sceleribus dicta illorum existimabũt. Illi res ipsas narratione adæquari potuisse negabunt; posteri autem exaggerata, & dicendo in maius elata facinora suspicabũtur. Illi quidem Oratores rerum enormitate victos; posteri verò superasse oratione res ipsas iudicabunt. Illi inquam, eos argumentum non assecutos; hi verò plus æquo res auxisse dicent. Quare cùm omnia quæ dici possunt, cum execrandis vestris vitijs comparata, exigua sint, committere talia desinite, quæ & præsentium*

*oratorum*

*oratorum artem superent, & apud posteros fidem non mereantur.*

*Eugenio Diacono.* 78

Maior in futura vita eorum merces erit, qui nihil bonorum in hac vita accepere. *Conf. ep. 72. 222.*

*SCito, vir optime si rectè, & ad Dei beneplacitum omnia agenti nullum adhuc præmium obtigit, non eo id fieri, vt nullum penitus, sed vt maius, & munificentius accipias. Qui enim hic aliquid percipit, ille illustrem; qui verò nihil ceperit; illustriorem in altera vita coronam consequetur. Caue igitur ne illud, quod animum erigere debet, pusillanimitatis occasionem tibi præbeat. Qui enim hic recipit, illi merito merces acciditur: at qui nihil accipit, ei illibatum præmium reseruari liquidò constat.*

*Cyrillo Episcopo.* 79

De rectè dispensandis bonis Ecclesiasticis in vsum pauperum.

*PRobè tua nouit prudentia, neque ex iniusto lucro eleemosynas faciẽdas, neque inexplebilem dispensatorum Ecclesiæ Pelusiotarum*

*auaritiam posse satiari. Optimè itaque feceris, si auaritiam eorum, qui Ecclesiasticas opes tractant, compescas. Si enim iniquè parta, ne in egenos quidem erogare fas est: sacrilegium erit, ne pauperibus quidē ea erogare, sed in proprijs thesauris recondere? Discant itaque, quod sincerè, & candidè, iustè parta pauperibus distribuere, & semetipsos ab omni iniustitia puros conseruare debent. Maximè cùm Iudici (Deo) sic placitum. Deinde & hoc sciant, se non illorū gratia, quorum curam se gerere dicunt hanc auaritiam exercere, sed quod proprios suos thesauros implere desiderent. Quòd si enim dispensatorum insatiabilem auaritiam extinxeris; multum inde commodi pauperes percipient.*

## *Harpocræ Sophistæ.* 80

### In ratiocinando caute agendum ne veritas male defendendo prodatur.

*QVi ad accuratas quæstiones solidam potest adferre solutionem, meritò non timeat, si difficiliorem formet obiectionem, at qui solutione destitutus, orationis vim in obiectione formanda ostendit, in soluēda autem eadem imbecillior videtur, is nescit se eò manifestius ostendere, quòd difficultate victus succu-*

*succubuerit. Neque enim tantopere eum ab initio contendere oportebat, qui postea manus difficultati erat daturus. Quin potiùs, si planius proloquendum, veritatem manifestè prodidit, quòd eandem orationis vim, qua in obiectionibus proponendis fuit vsus, in iisdem soluendis non ostenderit.*

*Zosimo.* 81

Ad virtutem exstimulat metu futuri iudicij.

N*Isi ignominiam subire, pœnasque sustinere velis, non dico in hac vita, (licet neque hoc exigui momenti sit apud hominem prudentem,) sed in illis siue supra terram, siue quocunque tandem locorum futuris iudicijs, excussa ignauia, virtuti incumbe.*

*Artemidoro.* 82

Ex animo non ex euentu res æstimandæ. Explicatur Illud Pauli. Vnusquisque propriam accipiet mercedem. 1. Cor. 3.8. & 14.

Q*Vi omne id, quòd in semetipso est facit, vt persuadeat nec persuadet tamē, æquè*

*mirari*

*mirari debemus, ac si rem omnino perfecisset, tantum abest vt reprehensione dignus sit. Id si mirum tibi dictu videatur, suum quoque calculum addet B. Paulus dicens:* Vnusquisque mercedem suam accipiet iuxta laborem suũ: *non dixit, iuxta laboris euentum, qui enim nihil omisit eorum, quæ fecisse oportuit, is iure merito corona dignus est.*

1. Cor. 3. 8. & 14.

*Paulo Diacono.* 83

Conuiuator optimus quis?

*CONuiuatorem ego illum splendidum esse arbitror, non qui redundante mensa conuiuas excipit, & saturitate nimia ad libidinẽ prouocat; sed qui frugalem apparatum prudẽtibus monitis condit, temperatque, quorum vtilitas ad animam etiam pertingere valeat.*

Conf. ep. 53. *Martiniano, Zosimo, Maroni, Eustathio.* 84

*QVamuis multi de salute vestra desperarint, ego tamen denuò ad vos accedo suadens, vt à vitijs recedatis, contrà verò ad virtutem complectendam cohortans: denuntians etiam improbis pœnas, quas luent, probis verò præmia quæ recipient. Nisi itaque*

*rationem omninò extinxiſtis, ſed ſcintilla ſaltem aliqua reſtat, quæ accendi iterum queat, eam vos rurſus inſlammando ſuſcitate, forſitan enim, tametſi ſerò, id aliquãdo cognoſcetis.*

*Hieraci Diacono.* 85

In Iuſtitia, fideq; ſeruanda latrones exemplo ſunt. Cic. 1. offic.

*MIror equidem vehementer, cùm latrones, qui ſtrictis graſſantur gladiјs, & ijs quoque arma inferunt, à quibus nunquam ipſis illata iniuria: vbi de eodem ſale participant, deſinunt iam eſſe latrones erga eos, quibuſcum ſocietatis fœdus intercedit: ſed communis menſa implacabiles mores mitigat. Nos verò, quos diuinæ menſæ communione Deus dignatur, irreconciliabile inter noſmetipſos bellum gerimus.*

*Caſio Scholaſtico.* 86

Patris offenſas in liberis vlciſci indecorum.

*SIquidem patris mortem exſpectaſti, vt ea occaſione in liberis temet vlciſcereris, duobus turpiſsimis vitijs te obſtrictum oſtendis; vecordia, & iniuriarum memoria: cùm enim in il-*

*in illum te vlcisci nequiueris, vecordiæ; dum vero in his vindicare te conaris, vindictæ, & implacabilis animi exemplum in temetipso exhibebis. At si ne hos quidem vlcisceris, vecordiæ quoque opinionem declinabis, & videberis tunc non metu cessisse, sed reipsa animo, vt sapientem decet, imperasse.*

*Esaiæ.* 87

Dei longanimitas ad virtutem, non ad peccatum nos excitare debet.

NOli, *vir optime, ab hisce ad deteriora prolabi, quibus meliorẽ te euadere oportebat. Nec salutis materiã perditionis causam existimes: sed Dei longanimitatem reueritus, virtutem arripe: neque enim perpetuò: Iudex ille sperni se sustinebit, sed potentem supra te manum extendet. Idcirco præmonet, & se ante excusat, quòd non iniuria decretum ipsius in*
Isai.42 14. *reos feratur. Inquit.* Silui: nec semper tacebo, & sufferam. Excitabor, & siccabo simul. *Tantùm non dicens: si pœnitentiam egeritis, nõ eueniet, quod prædixi. At si perduraueritis in vitijs, ego quidem extra culpam ero. Vosmetipsi enim pœnam capiti vestro accersistis.*

Paulo

*Paulo.* 88

Animum fortem, periti gubernatoris inſtar aduerſitatum fluctus ſuperare decet, ne ijs ſubmergatur. Conf. 76.

PRobum ſpectatumq; virum omni calamitate ſuperiorem eſſe decet. Erit autem, ſi rationem perturbationibus inuictam ſeruet; eique tanquam gubernatori clauum dirigendũ committat. Si verò gubernatorem ſubmergat, naufragium miſerrimum patietur, paſsionibus imperantibus, & rationem in ipſum pelagi fundum demergentibus.

*Euſebio Presbytero.* 89

De faſtu cleri, eiuſque cauſa. Conf. ep. 37. 268.

ETſi vt ſcribis, Regum, Principumque erga Deum pietas, Epiſcoporum impietatem redarguat, & nimius honos, quẽ ipſis exhibet, diſſolutos eos in tanto dignitatis faſtigio reddiderit; magnaq; illorum erga eos reuerentia, luxuriæ, et intemperantiæ occaſionẽ materiamq; ſuppeditarit; tu tamen caue, ne idipſum offendiculo tibi ſit. Non enim omnes pariter prædictus morbus occupauit: ſed ſunt qui ſecundum Apoſtolicam formam, & exemplar, vitam ſuam inſtituere laborant. Quòd ſi dixeris

*raros admodum eos esse, nec ipse inficias iuero, sed in hoc etiam Saluatoris nostri præscientiam*
Matth. 22. 14. *admiremur dicentis* : Multi sunt vocati pauci verò electi.

*Marciano Presbytero.* 90

Delatoribus non temere credendum, sed vtraque pars audienda.

R*Vmigerulis aures ne præbeas. Si enim accusatoribus facilè credas, nunquam deerunt homines mendaces, & fingentes. Sed si placet aures incorruptas præbe, et defendet sese egregiè, qui calumnijs oppressus est, & dolorem frustra erga illum conceptum in ipsos cõuertes.*

*Eidem.* 91

Pauli ad Hæbr. locus cap. 4. vers. 8. de Iesu Naue.

B*. Paulus non de requie Iudæorum, quæ ductu Iesu Naue in Palæstina ipsis parta fuit, loquitur; huius enim nulla apud eum fuit ratio: sed in eam respicit, quæ in futurum expectatur, & eò mẽs eius, scopusq; tendit. Quòd verum esse ipse sui interpres, sic explanat, di-*
Hæb. 4. 8. *cens*: Nam si eis Iesus (Naue scilicet) requiẽ præsti-

præstitisset, nunquam de alia loqueretur post hac die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. *Si enim, inquit, ille requiem eis dedisset, non vtique David post multas generationes natus, de requie loquens dixisset:* Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra. *Quocirca, inquit, vera quies populo Dei, idest rite ex fidei præscripto viuentibus, non in Palæstina reposita, sed in cælesti Hierusalem præparata est.* Ps. 94. 8

*Theoni Episcopo.* 92

Dubius primùm ob diuersa amicorum consilia, tandem hortatur, vt ad sanam mentem redeat, nec bonos lædere pergat.

C*Vm constitutum haberem, ò amicissime Theon, admonitionẽ ad te mittere, priùs tibi exponere volui, quæ amicorum meorum ea in re fuerint sententiæ, vbi illis institutum hoc meum communicaui. Illorum ergo alij magnopere verebantur, ne inimicitiarum materiam mea hac prouida sedulitate generarem: existimaturum enim te, sub specie institutionis maledicendi tibi occasionem à me captatam fuisse. Non enim mirandum dicebant, si ex oratione*

*illa*

*illa bellum mihi Persicum conflaretur. Erant etiam qui bono me animo esse iuberent, quippe quòd in bonam partem ea esses accepturus: tãtumque abesse aiebant, vt mali quid inde exspectandũ, vt & laudem inde sperarent. Vtrique mihi veritatis scopum partim attigisse, partim aberrasse ab eo videntur: nam principio quidem ægrè te laturum existimaui, deinceps verò non item, sed in partem quoque optimam accepturũ mea in te dicta spero: non tamen omnia: vtrumuis tamen exspectans, non desistam dicere, quòd in mentem venit. Primũ enim optimi quique à nostra parte stabunt non solùm te, sed & ceteros mali quidquam tentaturos, prohibere paratis. Deinde si quod vulnus ei infligatur, qui virtutis patrocinium suscepit, non erit id perpessu adeo graue. Quid ergo dicturus sum? age, dicatur: Iaciatur alea. Desine temetipsum tuo tibi gladio iugulare; & maiorem quouis barbaro barbariẽ in teipsum exercere; taliaque in te mala committere, qualia nec infestissimi hostes designarent. Si ergo statutum tibi est firmiter in malitia persistere, & immota ea apud te est sententia, desine saltem virtutis alumnos oppugnare. Nam non peccare tantùm, sed & bonos traducere linguæ mucrone aduersus eos armato, extrema*

*ma malitia eſt, aut conclamatæ potius amentiæ indicium.*

*Palladio Diacono.* 93

Ad conſtantiam hortatur in bono. Conf. ep.155

E*Ras olim in diſcipulorum numero, quorum etiam Princeps videbare, quòd vehementius cæteris ſacrarum litterarum inueſtigationi incumberes; at nunc ijs neglectis non modò receſsiſſe te conſtat: ſed & luxui vt audio, temetipſum tradidiſti, vnde libidines, vẽtris bene ſaginati comites exiſtunt. Cùm ergo non ignores, malum illud neglectum ingraueſcere; ad priſtinam te frugalitatem quàm citiſsimè, viciſsim compone.*

*Sereno Diacono.* 94

Omnia æquo, & moderato animo ferenda. Conf. ep.165

M*Vltis ſubita felicitas inſidias tendit, & immedicabilium malorum primordia exiſtunt. Ne igitur in omnibus id genus victorias quæramus, ſed vnum id potiſsimum, vt omnem ſortem æquo moderatoque animo & eo, quo pär eſt habitu, & prudentia adminiſtremus.*

*Athanasio.* 95

Virtutis vitiorumque comparatio. Virtus semper ad superna vitium ad inferna tendit.

*SI virtutem ac vitium breuiter delineare oporteat, dicam ego, quòd sicuti ignis ingenito suo motu semper sursum nititur. Ita etiam virtus, & sicuti corpora grauia sursum ferri nequaquam possunt, sed ad inferiora vergunt, grauitate motum ita incitante, vt velocitas eius verbis nequeat explicari; sic & vitium. Quocircà virtuti inhærendum; à vitio autem abstinendum.*

*Eutonio Diacono.* 96

Aduersa cùm à Deo aut ad castigationem, aut ad probationem immittantur, bono animo ferenda.

*HOs qui in tentationes incidunt in aliena felicitate proprias miserias clariùs perspicere certum est. Quòd verò dum vel medelam vel probationem hanc esse cogitant. (Alij enim pro peccatis pœnas soluunt, alij verò pro splendidioris coronæ præmio certant:) facilè*

*tentationes perferre debeant, & non solùm animum non remittere, sed etiam alacritate erigi, audacter affirmare ausim. Hinc enim curari quosdam promittit B. Paulus clamans:* dum iudicamur, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. *Quosdam verò coronæ gratia certare diuinum testatur oraculum, quod Iob datum fuit:* putasne me aliter tibi respondisse, quam vt appareas iustus? *Quin igitur siue hoc, siue illo fine exerceamur, bona spe confirmemur.* 1. Cor. 11. 32. Iob 40. 3.

*Theodoro Scholastico.* 97

Veritas omnibus anteferenda.

N*Oli contentiosis disputationibus veritati vim inferre, nec iniuria eam affice, liquidam, & accuratam eius cognitionem sophistica arte obumbrãs, sed omnia veritati posthabenda ratus, sine cauponatione, aut munerum corruptelis sententiam de ea feras.*

*Apollonio Agricolæ.* 98

Agriculturæ laudatio.

A*Gricultura & necessaria, & reliquarum artiũ parens atque altrix est: illius enim*

*largo prouentu vigent etiam reliquæ: cōtrà infeliciter agente illa, cæteræ propemodum extinguuntur. Non pudeat te ergo eam exercere, quin potius glorieris, quòd necessariam maximè, & vtilissimam artem tractes. Qui enim voluptuarias artes exercent, erubescere iure merito debebant.*

*Hieraci Diacono.* 99

Continentia in iuuene virtus, & laudanda. In sene impotentia; nec propterea in senectutem reijcienda.

*QVi in ipso vigore procellarū nauim seruat, & naturam libidinū furijs æstuantem refrænat, dignus est, qui millies beatus prædicetur, & coronis exornetur. Continentia enim in senectute, non ex temperantia, sed libidinis impotentia procedit. Idcircò Ieremias propheta priorem illum prædicans:* bonū, *inquit,* est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: *posteriorem verò nemo felicem prædicare dignatus est. Sed omnes sine præconij præmio inglorium reliquere. Ne ergo senectutem expectes, quasi in ipsa temperans futurus sis. Præterquam enim quod incertum sit, te ad illam peruenturum, res ipsa nullo cum honore coniuncta est.*

Thren. 3.27.

*Eidem.*

*Eidem.* 100

Aduerſa præterita in primis generoſo animo ferenda.

*CVm neceſsitas iubeat acerba, & triſtia, licet grauiſsima perferre; (negligendo enim non minuuntur, ſed augentur potius adverſa:) fortiter ea quæ accidere tuli: præſertim cùm maximam iam partem præterita quaſi eneruata elanguerint. Tentatio enim quæ transijt, citò obliuioni traditur; ſed quæ adhuc exſpectatur, toties diſcruciat, quoties metuitur.*

*Petro.* 101

Fidei Commendatio.

*FIdem in Deum infideles neſcio quomodo contemnunt, & eleuant: cuius cognitio facilis & prompta, poſſeſsio tuta: finis verò inſuperabilis, & perpetuus.*

*Harpocræ Sophiſtæ.* 102

Laudat linguæ libertatem qua improborum vitia inſectatus fuerat. Conf. ep. 52. 53. 77

*LAudo equidẽ, et admiror oris tui libertatẽ, pari cũ prudẽtia coniunctã; quã ſeruiles ac*

*degeneres improbant, suæ improbitatis, atque effeminati animi iustam eam reprehensionem rati. Ebrij enim maleficiorum suorum metu, & cum puræ sobriæque vitæ hominibus commissi intemperantes suas linguas exacuunt.*

## *Olympio Presbytero.* 103

Conf. epist. 440.

### Rogat vti pro desperatæ nequitiæ hominibus Deum oret.

QVamuis reprehendere facilè, & cuiusuis hominis, sed quid fieri debeat, vbi opus est demonstrare, optimi sit consiliatoris: Zosimus tamen, & Maro neque reprehensionem, neque consilium admittunt: sed eò dementiæ prolapsi sunt, vt & reprehendentes cõuicijs lacerent, & sana suadẽtes maledictis incessant. Quandoquidem verò nonnulli eos non reprehendere, neque suadere, sed veluti mortuos deplorare aggressi sunt, etiam hoc medicinæ genus accusarunt. Irrident enim eos, qui pro affectu idipsum agunt. Quid igitur facto opus est? Vltimum hoc tibi denunciabo, negotium nobis facessenti, & importuno quasi ipsorum insaniam propellere valeamus. Atque vtinam possem, non ego consultoris opem implorarem. Sed repente ipse eos corrigerem. Cùm verò malum

*lum omnem superet curationem, et medentium remedijs magis etiam exasperetur, sanctis tuis precibus opem ipsis adferas: si qua fortassis ratione malo superato, omni illos vitio eximas.*

## *Heroni Presbytero.* 104

Monet vt lites, quas auaritia cogente alteri intentarat, amicè potius componat, quàm dubium euentum exspectet.

*NOn me fugit principium eius contentionis, quæ tibi cum aduersario tuo est prima sua semina ex auaritia habere, & per alia plura procedendo in accusationem tandem finijsse. Meum ergo consilium est, iustè te facturum, si ijs quæ hactenus facta sunt acquiescas: Nam qui multa agit plura solet perpeti, ne id quod pugnæ finis esse videtur, maiorum calamitatum fiat initium. Admitte ergò intercedentes pro ipso, & negocium hoc depone, melius existimans humanitati aliquid condonare, quam iudicum sententia superari. Incertus enim est exitus, multiq; adeò infinitis iuris rationibus nixi, quasi nihil certi habuissent, victi succubuerunt. Et licet certa esset victoria, humanitate tamen potius vtendo illustriorem te, quam ipsa victoria reddes.*

*Martiniano, Zosimo, Maroni, Eustathio.* 105

Optat illis bonam mentem.

*SVfficiens quidem signum, maximumque mei erga vos animi argumentum idipsum est, quod consilium vobis dare constituerim. Omne enim consilium audientium vtilitatem spectat. Quorum verò cõmoda quis procurat, illi nequaquam debent dicere admonẽtem malè erga se affectum esse; vt ne vmbram quidem accusationis subesse credam ijs, qui admoneantur: quin potius preces monitionis loco sint. Deũ itaque precabor, vt mentem vobis saniorem immittat, & induratum animum expellat, & obsequens ac morigerum cor vobis largiatur, ad complectendam virtutem, quæ insitam, & non fucatam pulchritudinẽ obtinet; ad improbitatẽ verò quàm cupidè nimis sectamini specie belluinam, & quauis scylla terribiliorem, mente tamen captis, nescio qua ratione suauem ac iucundam effugiendam: si verò omnis omnino animi sensus vobis perijt (id enim diuturna in vitijs perseuerantia promittere videtur) saltem propter illos, quibus offendiculo fuistis, desistite, aduersus sacrosanctam Religionem linguam exacuere. Vestri verò compo-*

*tes*

*tes estote, ne vestra impietate, alios etiam in barathrum malitiæ præcipitetis.*

*Hermino Comiti.* 106

Virtus colenda, cætera vmbra, & somnia.

NEc imperium, vir magne, nec dignitatis magnitudo, nec secundæ res mortalium sapientiæ in te amorem, studiumque concutere, atque euertere valeant; quæ maximè mortalium animos extollere amant: verùm hæc omnia vmbras, & somnia reputans, virtutem cole: hæc enim purpura inter omnes possessiones, opesque nunquam veterascit.*

*Eidem.* 107

Aeterna curanda, neglectis terrenis, & perituris.

*RErum æternarum satage, momentanea & breui peritura neglige. Hæc enim, siue bona, siue mala sint, finem, exitumque celerrimum in hac vita habent: illa verò in altera vita terminum, finemque ignorant. Epistola hæc, etsi breuis, amica tamen, & effectu plena est.*

*Aeliano Scholastico.* 108

Ἔργα ne fiant πάρεργα.

MVlta multoties mortales patimur, dum quæ studio, curaque digna sunt negligimus, quæ autem reuera neglige͞da sunt, ea studiosè complectimur, ludicra serio studio, seria ludicro opera digna cẽsentes, ea enim quæ præcipua, & maximi momenti sunt, obiter & perfunctoriè; perfunctoria verò vt necessaria, & præcipua perficimus. Verùm cæcus sui amor non rectè iudicans, dolorem illis parit, quibus minimè oportebat: non enim eos, qui iusta perpetiuntur, sed qui iniusta agũt, dolere æquũ est.

*Philertrio.* 109

Virtute insignes imitandi.

QVi virtute præstant, ac pietate egregia excellunt, tantumque præ aliis eminent, quantum Lucifer ceteras stellas claritate superat, ij iure merito sydera appellari queunt, non modò semetipsos ad huiusmodi dignitatis fastigium euehentes, sed & cæcis lumen allucentes, & in virtutis speculam eos quasi manu ducentes. Hos itaque imitare, non

*non eos, qui cuncta sic agunt, vt & videntes excæcare possint.*

*Harpocræ Sophistæ.* 110

Quis sapiens, & bonus propriè dicendus. *Conf. epist. 264.*

*SApientes equidem hos existimo (nihil enim constituo) sed sententiam dumtaxat propono, qui intellectualibus virtutibus sunt ornati; Quales erant illi, qui sermonem habebant sapientiæ, & scientiæ. Bonos verò dixero, ornatos virtutibus quas rationis expertes (siue morales nonnulli appellant; quales erant ÿ, qui cũ sapiens nihil proferre possent, optima tamen conuersatione spectantes docebant: quorum silentium oratione operibus destituta præstat. Si quis autem & intellectuales, & morales virtutes obtineat, hunc ego & bonum, & sapientem nuncupauero.*

*Epiphanio Diacono.* 111

Συγγνώμης nomen vnde sumptum. Matt. 5.26. Esto consentiens aduersario tuo.

*QVandoquidem litteris tuis quæsiuisti, vnde Συγγνώμης idest,* veniæ *nomen pro remissione, & con donatione sumatur;*

*ego*

*ego si arbitror; quod vti homo seipsum noscēs, hoc est, qui neque delicta sua, cùm labitur, ignorat, sed scitū illud dictū,* nosce teipsum, *obseruat, neque in rectè factis, etsi aliquando quasi nictans paululum in arrogantiam vergat, magnificè de se sentiendo effertur, sed suæ conscius naturæ, atque imbecillitatis, neque supra humanam elatus cōditionem, resipiscit: Hic qui ignoscit, hoc est, qui vnà cognoscit, & intelligit, quod reapse ille palinodiam canat, ignoscit, & condonat semetipsum noscenti. Qui verò non cognoscit, non ignoscit. Quare & ille reprehensione dignus est, seipsum non noscens; hic verò semetipsum noscenti non ignoscens siue consentiens.*

*Eidem.* 112

Suadet caducas opes ita impendere vt thesauros in cœlis nobis paremus. Thesaurizate vobis. Matt. 6.19.

M*Vlta variaq; sunt, charissime, quæ opū possessionibus noxam damnumque afferunt. Non enim tineæ modò, & longa temporis vetustas, sed & lites, & latrones, serui etiā & futurorum incertitudo, mors denique (quā effugere, etsi alia effugerit; nemo potest) cùm*

bonis

*bonis tum opibus priuabit eum, qui possidere illa videtur; nomine enim tenus, non verè reipsa bona possidet. Qui verò eleemosynis, bonisque operibus, diuitias in hac vita recondit, ille & prudentis, constantisque viri nomen adipiscetur, quòd locum inuenerit tutissimum, quo nihil eorum, quæ diximus pertingere fas sit. Talis enim regio cœlum est, nulli malitiæ peruium, quouis terræ solo fertilius, & cum multa vbertate commissæ sibi sementis fructus perpetuos creditoribus refundens.*

*Maroni.* 113

Ad eleemosynam hortatur. Conf. ep. 79. 181.

*QVæ vel ingratis sæpenumero inimicis relinques, da nunc volens, & necessitatem honoris, & virtutis materiã effice; ne non pœnitenda deplores, sed præmittens illa in vitam æternam, fructuosa, & cum fænore reperies.*

*Theophilo.* 114

Peregrinatio quare, & quibus suscipienda.

*PAulo antè, sub ipsum lucis exortũ (creperæ enim noctis, et diei mixtura erat) amicorũ*

quidam

*quidam obuius mihi fortè fortuna indicauit, viros nonnullos ſapientes, poſtquam intellexere longinquam à te peregrinationem inſtitutam, non virtutis gratia, aut vt temetipſum vel alium aliquem ad ſapientiæ ſtudium perducas (quòd ipſum vtique probaßent) ſed vt diuitijs locupleteris, vehementer propoſitum tuum condemnaſſe, quod adoleſcentiæ annis in otio tranſactis, nunc in ſenio peregrinari inſtituiſti, cùm cõueniret te ſicubi, antea peregre vixiſſes, domum iam redire, imminente vitæ tuæ termino. Iuuenes enim ſe ad extremam ſenectutẽ peruenturos ſperant: Senes verò præter mortem nihil aliud expectare debebant. Ego verò cauſa diſceßus tui non planè cognita, te nec decendi, nec damnaui, ſed ſcripturum tibi promiſi. Tu ergo quod facere te dignum eſt, etiam atque etiam ante cum animo tuo perpendes.*

*Theodoro Scholaſtico.* 115

Melior eſt homo ſedulus licet pauper, quam ignarus diues opibus affluens.

V*Ter ergo gloria, & egregio honore dignus eße, tuæ prudentiæ videtur? an is, qui nihil quidem generoſi agere animo proponit, ſed in ſecundis rebus & diuitijs, & inani dignitatum*

gnitatum

*gnitatum splendore constitutus est? an verò is qui nihil, quantum in ipso est, intentatum relinquens, sed agit omnia, quæ & ipsum dignum omnium laude reddant, aliosque ad virtutem excitet. Aduersa tamen fortuna vtitur, & in inopia degit? mihi quidem hic præferendus videtur; si verò & tibi idem videatur, caue ne contrarium probare tuo calculo videaris.*

*Casio Presbytero.* 116

De Zosimi improbè factis. Conf. ep. 103 165.

QVandoquidem mirari te scribis, cùm nefarium sit Zosimum sacris initiari, quomodò non idem nefarium videatur illegitimè eum consecranti; respondeo, te quidē pro tuo animo ab omni malitia auerso iure indignari, quod nemo negauerit. Illud autem te monuerim, vt puram à maledicentia linguam custodias. Etsi enim ille infinitis, vt scribis, dignus est fulminibus, qui nec illa dignitate melior euaserit, sed sacerdotio, vt armis nequitiæ abusus, ea audeat, quæ audere nefas est: caue tamen tuum os impuris eius sceleribus arguendis, ac scæuis moribus commemorandis inquinare.*

*Paulo*. 117

Conf. lib. 3. ep. 135

Fati vim, & necessitatem lepido argumento subuertit.

*SI quæuis, vt ais, cogitatio atque omne animi propositum, hominibus à fato immittatur, absurdissimum quid ipsi fato accidere deprehendes. Siquidem alijs rationes suggerat, quibus defendatur, alijs verò artem, & sciẽtificas rationes quibus idipsum subuertãt. Quare si seipsum euertit enthymematis illis, quæ subuertentibus suppeditat, quomodò quæso fatum subsistere potest?*

*Eustathio Diacono*. 118

Ad vitæ emendationem adhortatio.

*INter mala hactenus à te perpetrata, illud summum est, quod nunc ausus es. Cõtendisti cum temetipso & vicisti. Primas itaque in hoc impietatis atque incontinentiæ certamine tulisti apud omnes, omnesque superasti: propterea nobis lacrymarum perennium causa extitisti. Si itaque dolori nostro tui causa concepto mederi velis, omnem moue lapidem, vt mali nominis labem abstergas.*

*Theodoro*

Theodoro Scholastico. 119

Lingua quomodo bene vtendum. Conf. ep. 453

*SI acutissimam habes linguam, oris septo maximè eam conclude, & fræno coerce, id si nequis, vtere ea, vti decet pro diuina, & incorruptibili gloria, in præsidium oppressorum, & optimarum rerum defensionem; contra auaritiam iniquorum; contra eorum imperitiam qui vniuersi huius prouidentiam malis spiritibus attribuunt; contra Hæreticorum amentiam; contra Gentilium superstitionem; contra Iudæorum inscitiã, ad peccatores incusandos. Quòd si his omissis, linguæ tuæ acumine ad obuia quæque abutaris, rem absurdissimam cõmittes. Facies enim perinde, atque si acutissimum nactus gladiũ, in tuos eum amicos stringas, vel robur viresq; contra ciues conuertas: cùm gladio contra hostes, robore contra aduersarios vtendum sit: Caue igitur ne pharmacum in venenũ conuertas, sed eo sicuti oportet vtere.*

*Hypatio Remp. gerenti.* 120

Procrastinatio emendationis tandem Dei iram excitat.

*HOmines in rebus gerẽdis cunctabũdos auere mala in propinquo videre nemo, vti*

*opinor, ignorat. Qui enim per ignauiã virtuti iniuriosè illudunt pœnas suo arcessunt capiti; quæ auctores obruere gestiunt. Quòd autẽ peccata pœnas tandem adducant, nisi pœnitentia*
Gen. 7. & 19. *curentur, &* diluuium, & Sodomitarum casus *apertè clamant. In quibus etsi mora, ac procrastinatio quædam intercesserit, non tamen in finem vsque vindicta tardauit, quæ tarda quidem, sed certa tamen secuta est.*

*Ophelio Grammatico.* 121

Conf. epist. 133.

De laconica oratione. Greg. Naz. epist. 3. ad Nicobulum.

*NOn ea admiranda oratio est, quæ longa verborum copia fluit, & importuno fertur impetu, sed vbi verbis breuis, sensu prolixa, & in ipsa breuitate omnibus numeris absoluta, oportunitate maximè animata est, tùm demum viuidior apparet.*

*Martiniano, Zosimo, Maroni, & Eustathio.* 122

Reprehendit ipsorum impudentẽ nequitiam.

*QVandoquidem nõ solùm ea patrãdo quæ nemo alius, quotquot vnquam flagitijs*

*infames*

*infames fuere ludibrium debetis, sed etiam gloriando in ijs quorum causa vultum obtegere erat æquum, omnem superastis amentiã; idcirco hasce litteras ad vos perscribendas duxi. Illis enim tantò, vt aiunt, deteriores estis, quòd quæ ipsi commiserunt crimina eadem texerint; vos contrà ijsdem vosmet iactatis. Summum verò malorum illorum esse dicunt, quod ij vobis insanire videantur, qui honestè viuunt, & delirare existimetis, qui vos admonent. Quodnam ergo vobis relictum est patrocinium? quæ commiseratio? quæ venia? equidem non habeo, quod dicam.*

*Thomæ.* 123

Aeternis, & mansuris adhærendum, peritura autem contemnenda.

*HIs tantum bonis acquirendis incumbamus, quorum post hanc vitam vsus nobis erit. Cætera verò contemnamus.*

*Harpocræ Sophistæ.* 124

Cohibenda calumnia.

*HOminem omnes vbique calumniantem grauiore comminatione coërce, ne pœnis postea opus habeat.*

 *Eidem.*

*Eidem.* 125

Ad frequentes inuitat litteras.

*QVoties tuas accipio litteras, vir clarissime, & eruditione instruor, & magna perfundor delectatione: nam & affectum, & scientiam ostendunt. Si autem ad me scribere paululũ cessas, discrucior equidem vehementer, & lingua torpet, cùm nec voluptate perfruar, neque vtilitatem sermonis tui percipiam. Noli itaque amicitiæ leges violare: sed frequẽter scribe: sic mihi lõgè eris charissimus.*

*Philetrio.* 126

Conf. ep. 21. 37.

De Ecclesiæ vulneribus, vitijsque persanandis.

*CHristi Ecclesiam, & Doctores insignes, et probatos discipulos olim habuisse, optimè quidem noui, nam & nostro sæculo, non tãtùm olim, vtrumque horum fuit. Idemque ne nunc quidem, vt tu affirmas, impossibile esse, sed fieri posse, nequaquam dubitandum est. Si enim ex parte rectorum eius solida firmaque subsisterent, & illi posita tyrannide paternam solicitudinem ostenderent, tùm etiam liceret dispicere*

*cere qua ratione subditi possent saluari. Prius verò quàm fundamentum ipsum rectè positum fuerit, de coronide, fastigioque sermonem instituere, valde superuacaneum duco: neque enim volent illi, licet millies audiãt, credere, nisi rebus ipsis, & exemplis didicerint: præsens itaque tempus multo & consilio, & prudentia indiget, ego verò difficillimum arbitror, non quòd eos oporteat admonere; at de eo dubito, quonam orationis genere apud illos vti oporteat. Certò enim mihi persuasum habeo, ex ijs, quæ & ipse corã, & sciscitando cognoui fugere, illos pleraq; diuinorum oraculorum, quòd cùm ea quæ oportet facere norint, ne intelligere quidem desiderent. Quamobrem illos moneo, vt (si liberius dixero) patienter ferant, & dispiciãt, num vera dicam; idque eo fine, vt meliores euadant. Nam assentationibus nonnullorum in has turbas, res Christiana coniecta est. Quid igitur facto est opus? dicam breuiter nec celabo: siquidem sacras litteras pro fabulis reputant, tùm sileant. Si verò cœlestia esse credunt oracula, opere illa priùs exequantur: dehinc populo prædicent. Nisi enim tales fuerint, lex diuina os illis obstruet.*

*Ἀνεπίγραφος Caret inſcriptione.* 127

## Modeſtiæ, & humilitatis commendatio.

*SIquidem magnum nihil, aut ſupra naturã natura noſtra continet; ad modeſtiam, & humanitatem (vtpotè proprium, & agnatum quid) eam adigamus, omnem arrogantiam exterminantes.*

*Petro.* 128

## Quis ſpiritalis, Animalis, & Carnalis.

*Conf. ep. 127 lib. 4.*

1. Cor. 3 7 / 1. Cor. 14. / 3. Cor. 2. v. 13. / Dan. 3 / Conf. 36. & 68

*CArnales ſcriptura vocat, qui ad carnis opera prolapſi ſunt, Animales verò, qui præter conſequentias ratiocinationum nihil ſequuntur: ſpiritales denique, qui diuino ſpiritus dono ſunt ornati, & ratiocinationis conſequentias ſupergreſsi, atque ijs quæ naturam ſuperant, illuminati. Vt exempli gratia: Tres illos pueros in Babylonicum caminum coniectos non arſiſſe, nullam naturalem habet rationem, ſi quis rei probabilitatem examinet, & ratiocinationis imbecillitatem perſpiciet. Sin autem diuinam conſideret virtutem, quæ naturam quoque ipſam longè excedit, & ratiocinationum conſequentias tranſcendit, omnesq; adeò artes ſuperat, prædicta illa comprehẽdet.*

*Theo-*

*Theopompo vel Theopempto, vt 508. 509. Epist.* 129

Deprehendi in peccato, alienam censuram, & suspectionem incurrere, graue.

D*Eprehendi in ijs in quibus non oportebat, amarum est ijs, qui non omni planè sensu distituuntur: at iudicari graue est hominibus paulo honestioribus. In suspicionem autem vocari illis, qui virtutis culmen attigere, longè molestissimum est.*

*Nilo.* 130

De comminationibus, Deique promissis passim coniunctis.

C*Omminabatur olim Deus Hebræis, & bona promittebat, qui enim minatur tãtùm, & mala prædicit ad desperationem meliorum impellit, et auditoribus omnino persuadet vt peioribus sese dedant. At contra, spes bona adspirare ad meliora iubet. Ideo vbicunque Deus. Iudæis Babylonicam captiuitatem comminatur, simul quoque reditum in patriam promisit.* Hiere. 29. & 32.

*Paulo Presbytero Anachoretæ.* 131

De corruptis aliculi cleri moribus quamque periculosum sit peccantes admonere, & quomodò admonendi sint.

*ILli ipsi, qui virtutis, & vitij arbitros se esse iactãt & cẽsores, primas virtuti debitas tribuunt improbitati; & dum probos eijciunt, improbos verò congregant, eos qui quod oportet facere gestiunt, pusillanimiores reddiderũt; atque adeò eos, qui libero ore verum dicunt oppugnarunt, vt in omnibus prope impetum ad meliora ferentem retuderint. Ipsi ergo canum ac suum ritu viuentes, contra Apostolicæ vitæ terminos, rabie aguntur: cumque istos arcere oporteret, res deplorandas in risum iocumque conuertunt: cùm non solùm nullam rationem virtutis habeant, sed & seipsos eò quod, qui virtutem colerent pessima paterentur, extollentes, laudeque ac commendatione dignantes. Quis itaque sic affectos reprehendet? quis quæso corriget? ecquis accusabit? quis eorum fastum retundet? quis supercilium deprimet? quis admonebit, vt non solùm dignitate, sed etiam virtute se extollant: quis ipsis persuadebit grauissimas aliquando pœnas fore luendas?*

das? Si enim Iudici ipsi in Euangelio senten- Luc. 18 6.
tiam pronuntianti fides non habetur, cui tandem habebitur? quis furibundam illorum insaniam, quæ cursum suum sistere nescit, sed indies magis, magisque inualescit, cohibeat? multi enim id facere aggressi, illis quidem nihil profuerunt, at se ipsos multis inuoluerunt malis, quos equidem scio maximas in altera vita recepturos coronas. Simplicioribus verò per ea, quę in hac vita acciderunt ad virtutem incitantur, & vitia fugiunt. Cùm itaque hoc solùm ex reprehensione eueniat, vt is, qui liberius reprehendit iniustè aliquid mali patiatur, nihil verò vtilitatis redundet ad eum, cui consilium proponitur, propterea nunc multò periculosius est, quàm antea dicere ea, quæ bona sunt. Si qui verò ipsorum vt scribis, admonitores quærunt (neque enim omnes in Barathrum cæci amoris sui ac vitiorum præcipitati sunt) oportebit eis inculcare id quidem maximè Scripturã esse Sacram: ei si obtemperetis cognoscetis? quid vestri sit officij. Quòd si consiliatore indigetis, desinite primùm patrare ea quæ facitis, & tùm monitorẽ vobis quærite. Vbi enim ab ijs abstinueritis, & tutam optimis consilijs viam paraueritis, tunc recta monentem quærite. Ante

verò

*verò quàm cessetis, nolite quærere. Quis enim egregia vobis consilia suggerens reÿci à vobis, & expelli volet, neminem sanè reperietis. Hæc scribo, non quod ipse in hac vita aliquid perpeti reformidem (multa enim perpessus sum, vt nostis, huius rei gratia) & dixi adornāti mihi malum, etiam inuitus mihi coronam præparasti.* Quia & mihi datum est à Deo, non solùm vt in ipsum credam, sed etiam, vt pro ipso patiar: *verùm obturare os volens ÿs, qui se consilium petere simulant, non vt consilium accipiant, sed vt insidias struant. Quòd autem hoc non metus causa scripserim hæc velim istiusmodi mortales audiant: vos factis, & exemplo vestro eos quoque, qui vobis subsunt, ad improbitatem quasi manu ducitis, & duplicem luetis pœnam: quod nec ipsi id, quod oportuit fecistis, & supplantastis eos, qui saluari potuissent, nisi vos ipsis scādalo fuissetis. Desinite itaque talia committere, quæ ne Christi quidem hostes ad nominis eius blasphemiam committunt. Extinguite persuasionem illam, qua loci prærogatiuam vobis, præ alÿs deberi putatis. Arrogantiam refrænate; supercilÿ fastum deponite, cogitate quod* terra sitis, *& cinis. Considerate quid paulo antè fueritis, & quid paulo post sitis futuri. Cognoscite eos, qui inter vos*

Philip 1.29.

Gen.18 27.

Conf. ep.244.

*virtute*

*virtute præstant: nolite sacerdotij armis contra ipsum sacerdotium abuti. Nec paupertatis magistro quæstui, & lucro incumbentes illudite. Nolite pro fabulis ducere euangelica præcepta, quæ toties vobis occinũtur, nec existimetis vos impune peccaturos, nec Deum iniustum esse putetis, neque hallucinari, vel cæcutire Deum omnia intuentem arbitremini. Virtuti deditos nolite ablegare, nec flagitijs omnibus coopertis applaudatis ne eos qui flagitia vestra vident, ad eadem sensim informetis: nolite reijcere, qui zelo Diuino adducti libero ore veritatem dicunt. Nolite alijs calamitates, damnumque parare ne rectum, honestumq; quòd verbo statuitis, opere ipso dehonestetis. Sed quid pluribus est opus? cùm hæc abundè homines, necdum planè desperatos pungere sufficiant. Finem itaque meæ orationi impono, Deum ritè precatus, vt salutarem hanc epistolam esse velit.*

*Palladio Diacono.* 132

Indigno responsum denegat consultus ab illo iuxta illud. Sancta ne canibus. Matt. 7. 6. 15. 26. Con. 31

*AD id quod scribis, habeo quidem quod respondeam, sed tibi quod respondeam*

*non*

*non habeo; diuino præcepto obtemperans iuben-*
Matt. 7. 6. & 15. 26. Conf. ep. 31. *ti,* sancta canibus non obijcienda. *Quòd si caninam rabiem deposueris, & humanam indolem ac mansuetudinem ostenderis, etiam non interroganti respondebo, non formæ, sed morum mutatione delectatus.*

*Ophelio Grammatico.* 133

De stylo Epistolari.

E*Pistolaris character nec omni planè elegantia atque ornatu careat, neque nimio cultu luxuriet. Illud enim vile, hoc verò ineptum est, at moderatè ornari, cùm ad vsum, tùm ad venustatem sufficit.*

*Menæ Diacono.* 134

Conf. ep. 142 Affectibus malis vincere est vinci, & noxia admodum ea victoria est.

Q*Vi vehementissimis affectionibus, Iræ nimirum, & Auaritiæ vincere videntur, ijs multò deterior ea est victoria, quam si victi succubuissent. Est enim vbi vinci satius est, quàm vincere, nec ob huiusmodi victoriam gaudendum, vbi iniustè obueniat: quæ voluptas enim hinc capitur, ad*

*breue delectat tempus, at progressu temporis dedecus sempiternum parit.*

*Hieraci Diacono.* 135

Periculosum est peccare, & nescire se peccare. Conf. epist. 8 74.159

*QVando malorum quæ committimus ipsi sensum nullum habemus ob negligentiã & cæcum nostri amorem, neque alijs præbemus, eo quod ipsi eodem nobiscum morbo laborant. Idcirco dum rectè nos valere opinamur, neque medicos quærimus, neque curari à morbo optamus: sed ne hoc ipsum quidem, quod ægrotemus, scimus: quòd non solùm omni nos sensu, sed vita potiùs ipsa destitutos arguit.*

*Eidem.* 136

Peccatum pœnam, virtus præmium parit: quàm illud fugiendum, hæc colenda. Conf. ep. 87.

*IMprobitatem omni rationi pœnam parturire probè nouisti: sed nec illud ignoras, probitatem eò quòd res sit valde diuina, siue quod ad Deum magno nos passu perducit, præmia omnem sensum exsuperantia parere. Illam itaque fuge; hãc sectare, nec Dei longanimitatẽ*

*negle-*

*neglectum aut iniuriam esse existimes. Oues* Matth 25.32. *enim in Iudicium longè sæuerissimum adducentur.*



## Quantum differat, benefacere amicis, benefacere promiscue omnibus, & benefacere inimicis in illud. Matth. 5. 46. si diligitis eos qui vos diligunt.

A*Micis benefacere pulchrum est, pulchrius verò omnibus indigentibus. Sed & ini-* Matt. 5, 46. *micis benefacere pulcherrimum:* Istud enim & publicani, & gentes faciunt, *illud verò qui legi diuinæ obtemperant, tertium verò hoc, qui cælo dignam vitam ducunt. Quantum igitur angeli hominibus iustè ex legis præscripto præstant, tantùm & hi publicanis antecellunt. Tãto enim illis superiores existunt, quanto angelis sunt inferiores. Primùm enim rationi est cõsentaneum, alterum humanitatis plenum, tertium ipsam rationem exsuperat. Eo quòd primi illi amicis, qui aut antea beneficia exhibuerant, aut pro acceptis gratiam, mutuumque sunt relaturi; alteri verò isti promiscuè quibuslibet, etiam nullam gratiã relaturis; postremi*

*mi verò etiam malè affectis, quinimò nonnumquam malum, damnumque referentibus benefaciunt. Multi enim nec beneficijs meliores fiunt, sed inuidia ipsos non dicam bestiarum, (nam & hæ interdum benefacta benefactis reposuerunt:) Sed dæmonum numero, ordinique aggregat: qui ipsi nihil quidquam boni facere volunt; sed & eos qui volunt, impediunt.*

## *Athanasio Presbytero.* 138

Beati estis cùm maledixerint vobis homines. Matth. 5. 11.

*CHristus Dominus beatos prædicat, qui propter ipsum, omne malum siue dicenda, non dicendaque audirent. Si tamen ij, qui maledixerint mentiri deprehendantur. Sciendum itaque vtrumque debere adesse ei, qui ad supremam beatitudinem pertingere cupit, & vt propter Christum patiatur, & vt falsum sit, quod in eum dicitur, vt si alterum quidē adsit, absq; altero non adeò prosit: prosit tamen sed nō tantum. Etsi enim pro Christo patientes vera in nos dici audiamus, rubore nos suffundi necesse est. Nam ex vna parte probati, ex altera iure reprehendimur. Si verò non propter Christum quidem, sed falsò tamen malè audiamus tole-*

*rantiæ præmium percipiemus, non tamen summæ beatitudinis erimus participes: quam tum demum consequemur, cùm vtraque concurrũt.*

*Heliæ Diacono.* 139

Conf. ep. 17. 46. 65

## Spectando vt agendo peccari.

*SI vestibula dumtaxat, & non adyta fœditate inquinarentur, curari fortasse malum posset, si verò animum ea contingat, nemo seipsum fallat. Quòd si quis dixerit homines decipiens:* Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, *ratus legitimum esse certamen adspicere, dum ab actu abstineat, discat is præsidem ipsum certaminis, Iudicemque ac munerarium dixisse.* Qui viderit mulierem ad cõcupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo: *Legitimum itaque certamen est, non quod ab vnoquoque ex negligentia, aut opinione propria, sed quod ab incorrupto iudice est constitutum.*

2. Tim. 2. 5.

Matt 5. 28.

*Theodoro Scholastico.* 140

Conf. ep. 16.

## Vitia naturæ, & animi bene distinguenda, quorum hæc iure vituperanda, illa non item.

*IGnorare mihi videris, quæ laude, quæ vituperatione sint digna: ideoque oratione tua*

*omnia*

*omnia confudisse. Inuoluntaria enim cùm voluntarijs permiscens rem totam, quantùm in te est vehementer conturbasti. Quòd enim scribis Eusebium homuncionem esse corpore pusillum, facie turpem, lingua autem barbarum, ipsa quidem veritate indice vitio ei verti non potest. Illa enim à natura sunt: hoc verò ab educatione ortum. Quod verò moribus sit semibarbarus, linguæ intemperans, ira efferus, & belluinus, virtutis hostis, improbitatis defensor (bonos enim profligat, malos verò plausu prosequitur) hoc reuera malè ab illo geritur, nec veniam vllam meretur. Discas itaque quid vituperandum, quid contrà laudandum sit, non incircumspectè, ab vno ad alterum transilias.*

*Dionysio.* 141

A rep. gerenda dehortatur, ne curarum, negotiorumque fluctibus obruatur.

*QVandoquidem animo ad ciuilia negotia ferri mihi videris, quasi gloriam in ijs adepturus; hortor ne in pelagus curarum te conijcias. Nosti enim probè quod ijs, neque rationem vtilia suggerentē consilia, neque cùm voles ad mentē sobrietatēq; redire poteris*

*sed interitum quidem, in quem tendis, prouidebis. Dum itaque res adhuc integra est, quid facto opus sit, delibera.*

*Sereno.* 142

Conf. epist. 55. 67 488.

## Contra Auaritiam.

*GRauis ille, curatuque difficilis auaritiæ morbus, & qui remedijs excogitatis magis, magisque exasperatur, nulla alia ratione cessabit, nisi is, qui illo laborat, ab eo quòd lucri speciem præbet, absistat, lucri speciem dico, quia reapse maximum est damnum ac noxa. Si quis mihi non credat, Deo vtique Iudici eum credere par est, ita pronuntianti:* quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ iacturam faciat. *Si itaque coaceruare opes paulatim desinat, & largiri incipiet, & integram recuperabit valetudinẽ.*

Matth. 16. 26.

*Sereno Diacono.* 143

## Cæca vindictæ cupiditas multos pessumdat.

*QVoniam commune odium certissimum hominibus ineundæ amicitiæ argumẽtum esse videtur, & plurimis in rebus dissidentes, in eo conueniunt, quod eosdem*

arg. Herod. & Pilat. Luc. 23

*inimicos*

*inimicos existiment, cauēdum hac in re maximè est, animusq; sapienter cohibēdus, nec vindictæ indulgendum, quod si fieri hoc non possit, cauendum, ne dum alteri contra alterum auxilium ferimus, vt ab vno inimico liberari videamur, tandem ipsi ei, qui nostro auxilio fortior euasit, prædæ simus.*

*Macrobio.* 144

Nunquam à spiritali cessandum pugna. *Conf. ep.* 19.

NE *eò quòd semel atque iterum iram, & concupiscentiam (quæ reliquis omnibus animi passionibus maiorem in nobis tyrannidem exercent) superaueris, animum remittas, nec existimes te victoriam absolutā reportasse, nec amplius tibi posthac certandum esse: verùm vt maximè viceris semper vigila, & attentus esto, ne, & trophæa, quæ prius retulisti obscurentur. Multi namque non dico qui tertiò sed qui millies, è conflictu victores rediere tandem succubuere, & miserandum alijs præbuere spectaculum, dum post plurima trophæa, in captiuitatem tandem abducti sunt. Hoc enim ex Apostolis quispiam probè intelligens, sic loquēdo exclamat.* Videte ne perdatis quæ operati estis; *sed vt mercedem plenam accipiatis.* 2. Io. 8.

*Ipse etiam Paulus qui innumeras de innata sibi concupiscentia victorias retulerat.* Castigo, *inquit*, corpus meum & in seruitutem redigo, nè fortè, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. *Perspectas enim habebat, vtpotè vir circumspectus, nec temere, & inconsideratè in certamen descendens, cùm diaboli versutias, tum ipsam carnis rebellionem, & quod ille quidem accepta clade, magis exasperatur: cumque aperto Marte, & aduersa fronte cõgredi nesciat (sic enim facilè detegeretur,) quamdam amicitiæ laruam assumẽs, victores ipsos nõ raro supplantat; & tanquam nũquam succubituros circumueniendo, atque omnẽ priorem laborem eludendo, & vniuersum apparatum, & munimenta disiiciendo, eos hoc pacto tandem in libidinis, et incontinentiæ barathrũ præcipitauit. Caro autem identidem insurgit, & petulans lasciuit, nec ipsam macerantibus facilè cedit: Sed sæpe in iuuentute subacta in senectute redintegrato prælio superiores clades restaurauit, & illustria illa trophæa de sese erecta aboleuit. Quis igitur ita insipiens, aut adeò inconsideratus erit, vt cùm virum illum Spiritu sancto plenum, post infinitas victorias adhuc certantem videat eò ipse quòd semel, iterumuè vicerit securus obdormiscat, & armis ac cer-*

1.Cor.9 27.

*ac certamine depoſito, inſuperabilem ſe eſſe arbitretur; & non potiùs magis ſe communiat, id demùm magnum, & illuſtre eſſe ratus, non hactenus viciſſe, ſed in finem vſque nunquã hoſti ſuccubuiſſe? Siquidem virtutum theſaurum poſſidentibus, magis excubandum, & vigilandum eſt, quàm boni nihil habentibus. Illi quippe habent, quod cuſtodiant, hi autem non habent, nec tam graue eſt nihil omnino habere, quam ijs quæ habuimus, priuari.*

## *Nilo.* 145

### Bene dicendi virtutes quatuor, ex Hermogenis idæis.

*ORationis virtutes quidem ſunt, veritas, breuitas, perſpicuitas, & opportunitas: vitia autem illius, ſunt falſitas, prolixitas, obſcuritas, & importuno tempore dicere. Quem enim illa oratio fructum adferat, quæ vera quidem ſit, non autem conciſa, ſed auditoribus tædium adferat? vel ſi breuis quidem, ſed non perſpicua? aut, ſi perſpicua quidẽ, non tamẽ opportuna? At ſi omnes virtutes habeat, tũc & efficax, & acris, & velut animata erit; veritate quidem ſua auditores capiens, breuitate expugnans, perſpicuitate animum tangens, opportunitate denique coronam reportans.*

*Heliæ Diacono.* 146

Conf. ep.46. 139.

## De oculorum decenti verecundia.

*PVpillas, quæ nō aliter in oculis, quam virgines in chalamis collocatæ, & palpebris ceu velis quibusdam obtectæ sunt, modesta quadam ratione regi debent, vt semper erubescant, & vbi oportet, pudore suffundantur: Quod si eas interdum alienam pulchritudinem intueri contingat, tunc amplius erubescant, & velut cortinas obducant, humumque sese demittant,* & terram velut matrem intueantur: vnde discant, non solùm hanc naturam nostram, sed & conspectam illam pulchritudinem ex ipsa effloruisse, & postquam ea emarcuerit in ipsam tandem reuersuram. *Hoc si obseruent, haud dubiè virginale decus conseruabūt; si verò intemperanter atque impudenter huc illuc ferantur, loco virginum, canes ad alienam pulchritudinem rabiosè exæstuantes esse deprehendentur.*

*Thomæ Monacho.* 147

Conf. ep.16. 140.

## De Eusebio malos Sacerdotes ordinante.

*SIquidem Eusebius ex ignorantia illos ordinarit, aliquo modo ob ignorantiam hanc*

*excusari*

*excusari merebitur: at si vti scribis scienter, dataque opera gregem, pro quo etiã pretiosum sanguinem suum Christus Dominus profudit, lupis ob eorum rapacitatem, canibus ob salacitatem, vulpibus denique ob vafritiem, & calliditatem, pascendum tradiderit; grauius certè peccauit, quàm vt excusari queat. Hæc autem dico, non quòd illi culpa careant, nullæq; ab ijs exigendæ sint pœnæ; sed quòd is, qui horum peccatorum semina præbuit, magis sit puniendus: Qui enim rei alicuius causam dederit, eorum quæ inde consequuntur auctor existit.*

*Ioanni Scholastico.* 148

Modus in cibis capiendis seruandus, quorum nimia satietas, & insalubris, & iniucunda.

*CAnini, & brutales appetitus non sunt lauta, & opipara mensa pascendi, sed necessarijs dumtaxat excipiendi. Etenim Græca vox* εὐωχία *(idest conuiuium) tantundem significat, ac bene habere, aut bene viuere: nimirum vt appetitus illi placidi nobis ac morigeri fiãt. Qui enim frugalitatis limites excedũt cùm nimia repletione ipsam saturitatẽ iniuriosè tractant, tùm sensus suos obtundunt, & veram cibi voluptatem, voluptate sese perdere nesciunt.*

 *Theo-*

*Theodosio Scholastico.* 149

Pessimi sunt qui sub specie boni, mali sunt. Iustitia colenda.

*SPeciosa, & aliquo iustitiæ colore tincta, nō tamen reuera iusta tua, quàm scripsisti, excusatio mihi visa est. Quamobrem si Platoni*
Polit. 6. *credis dicenti:* Summum malitiæ, & improbitatis gradum esse eum, qui iustus non sit, iustum tamen videri velle: *noli sectari illa, quæ iusta videntur, sed quæ reuera iusta sunt. Ita fiet, vt & à Deo laudē, & ab hominibus amorem, & beneuolentiam referas. Ipse quoque aduersarius tuus benigniori erga te affectu erit, omnisque rancoris, & maleuolentiæ obliuiscetur.*

*Chæremoni.* 150

Hortatur vt castigatus resipiscat, ne pro desperato habeatur.

*NOli, vir optimè, videri deterius iam laborare ijs malis in quibus nuper deprehensus pœnas dedisti: ne tamquam indolens, nō verò pœna, & castigatione prudentior redditus, pro desperato habearis.*

*Eidem.*

Eidem. 151

Bonorum exempla non malorum imitanda.

*Diuinam legem obſeruantium, non autem transgreſſorum veſtigijs inſiſtendum eſt. Illud enim tutum, hoc verò periculoſum ac proinde haud imitandum. Cùm ergo talia facias quare pœnas dare recuſas. Eò quòd nonnulli, qui idem fecere, hic eas non dederunt? Sed ſcias multos, etiam hac in vita pœnas dediſſe; ſi qui verò eas hic euaſerint, id ipſorum malo factum: nam hac è vita abeuntes, in altera grauius punientur. Tu verò, quoniam quod imitandum non erat, es imitatus, grauius omnino in altero mundo lues, quin etiam in hoc fortè pœnas perſolues. Non enim ſi temporibus elapſis abſurdum aliquid commiſſum fuerit, tu verò idipſum es imitatus, propterea indemnis effugies; ſed multò grauiores pœnas dabis. Vt enim, ſi quis prius in ijs deprehenſus fuiſſet, ipſe certè ea non commiſiſſes; ſic ſi tu deprehendereris, alius ea non admitteret.*

*Phileæ Rempubl. gerenti.* 152

Expertum vanitatem gloriæ mundanæ hortatur, vt æternam ambiat, quam & terrena sæpe subsequitur.

*EO quòd ciuilem gloriam cõsequi non potuisti, grauiter quantũ intellexi turbatus videris. Sed cogitans cum animo tuo omnẽ vitæ huius gloriam, & telis aranearum tenuiorem, & somniјs inaniorem esse, mentem tuam ad supermundanam illam gloriam transfer, et animi turbationem ac tumultum facili negotio compones. Qui enim vtramque ambit, neutram consequetur: at vtramque consequi licet, quando non vtramque, sed solam cœlestem diligimus. Qui vtramque consectatur, non consequetur vtramque. Quocirca si gloriam desideras, desidera diuinam: quam sæpenumerò etiam terrena hæc comitatur.*

*Eutonio Diacono.* 153

Conf. ep. 47. Dum rectè agis ne metuas iniquas malorum censuras.

*SIquidem his ipsis in rebus, ob quas maximè laudandus es, ab illis qui aliorum vir-*

tutes

*tutes sua esse damna existimant, sugilleris, noli animo deÿci. Hoc ipsum namque omnium maximum virtutis est indicium.*

*Eidem.* 154

Hostilis animus mansuetudine expugnãdus.

*INtelligo tibi lites esse cum eo, quem dicere nolo: neque enim memorari dignus est, qui molestus, & erga virtutis sectatores durus, & difficilis esse cupit. Veruntamen si is ad mentem redeat, admitte se excusantem: si non resipiscat, ipse autem primus eum accedere statuas, cui pax profutura sit; idipsum quoque facito. Duplicem coronam habebis, tum tuæ ipsius moderationis, tum illius reconsiliationis.*

*Iscyrioni Diacono.* 155

Dialogismus.

*CVm tibi breue id, quod cum quodam habui, colloquium clarè exposuerim, satis respondisse me puto ÿs, quæ ad me scripsisti. Etenim cùm nonnemo mihi alias occurreret, ac diceret. Fac me iustum; ei respondi, quinam iustus euadere poteris, si peccare pergas? Subinferente illo. Non pecco amplius; dixi: si*

quidem

*quidem, quæ dicis vera ſunt, iam euaſiſti qualis eſſe volebas.*

*Iſidoro Epiſcopo.* 156

Conf. ep. 192 199. De explorato cuiuſdam animo.

*IS de quo ſcripſeras, vir in me incidit, contriſtari quidem viſus, attamen magis ad lætitiam propenſus. Licet enim vultus ad triſtitiam ipſi videretur compoſitus, animus tamen clarè, & euidenter voluptate perfundebatur. Nam vt verbis vltro, citroq; habitis, eum exploraui, effeci velut vi quadam admota, vt quæ tecta intus latebant, in apertum proferret. Tunc ergo perinde ac ſi detectus eſſet riſum ira mixtum per genas effudit: deinde in clarum cachinnum effuſus. Exinde verò ijs, quæ facta erant, non mediocriter gaudere ſe liquidò teſtatus eſt.*

*Nilo.* 157

Perinde quo quis loco ſepeliatur, cùm omnis terra patria ſit.

*COrpus, vt mihi quidem videtur ſepulturæ tradendum eſt, & eo illi in loco iuſta perſoluenda, in quo deceſsit. Muliebre enim, &*

*plebeij cuiusdam animi esse duco, ex vna vrbe in aliam cadauer circumuehere, & ipsa naturæ arcana diuulgare, cùm omnis vbiuis terra nobis patria sit.*

*Hieraci Diacono.* 158

In quo consistat bonorum summa.

C*Aue vt mensa opipara, cantu fracto, & molli, & opibus affluentibus, vitæ beatitudinem definias; Sed frugalitate, & sufficientia, et nulla rerum necessariarum indigentia. Priora enim illa animam illiberalem, seruamque efficiunt; hæc verò eam reginam constituunt.*

*Petro.* 159

Peccantium duo comparantur genera. Explicatur illud Pauli. Non solum qui ea faciunt &c. Rom. 1. 32. *Conf. ep. 74. 135.*

M*Alum equidem est, peccare; peius verò, peccantem nullum mali sensum habere; illud autem quis iure merito omnium pessimum ducat; cùm & ipsum iudicium corruptum est, vt homo rectè de rebus iudicare nequeat. Primus enim forsan tandem peccare desinet;*

*desinet; alter verò vulnerum suorum sensum, forsitan recipiens, medicum requiret; at qui, quàm suauissimè in vitijs viuit, eos qui huiusmodi mala committunt, etiam laudabit. Quanto ergo peius habet morbum suum non percipiens, eo, qui sese ægrotare nouit; tantò peius se ægrotare nesciente, is qui morbum etiam patrocinando tuetur. Vnde ait Apostolus:* Non

Rom. 1. 32. solùm illa faciunt, sed & consentiunt facientibus. *Etenim longè peius reputo malum laudare, & eius patrocinium suscipere, quam ipsum de facto patrare. Quæ quidam verba, cùm non intelligerent, & tamen interpretari vellent, ea putarunt adulterata, & deprauata esse, ac proinde hoc illa modo construere veriti non sunt;* Non solum facientes illa, sed & cõsentientes facientibus; *quasi maius sit, facere, & minus, consentire. Sed hi non animaduerterunt primum negligentiæ cuiusdam esse, alterũ mentis, & animi prorsus deprauati: primum erroris, & transgressionis, alterum, iudicij minimè sani. Etenim qui è negligentia quadam lapsus est, erubescet, & ad pœnitẽtiam forsitan redibit: At qui passionem, & inclinationem suo ipse calculo probat, & propugnat, nec ab improbitate desistet, nec pudore suffundetur: sed ea etiam gloriabundus se iactabit.*

*Theoni*

*Theoni Episcopo.* 160

Qui alios à peccato arcere debet, & ipse peccat, maiori pœna dignus. Conf. ep. 196 230.

*SI nemini non manifestum est, eum qui in alios malefactores debet animaduertere, meritò illis grauiùs esse puniendum, si ipse ea facere deprehensus sit, quæ vt in alijs prohibeat constitutus est; quid, quæso, tibi ipse adularis, quasi semper vigilantem Dei oculum latere possis?*

*Eidem.* 161

Præstat ignotum omnibus virtutem colere, quàm nosse omnes, & omnibus notum esse.

*TV quidem sicuti scripsisti, operam dedisti, vt omnes nosses; alius verò quispiam fortassis, vt omnibus notus esset, ego autem, vt virtutem colerem, etiam nullo mortalium conscio. Quis ergo nostrum magis sapiat, & rectius sentiat, diiudicent alij.*

*Harpo-*

*Harpocræ Sophistæ.* 162

Conf. ep. 196. 230.

De tribus Christianæ vitæ necessarijs, oratione, Virtute, ac Fide. Ad duo Pauli loca, Fide, & Sermone, 2. Cor. 8. 8. & opere, & Sermone, 2. Thess. 2. 17. Et illud: Fides sine operibus &c. Iacobi 12. 17.

D*Iuina quædam res est oratio, diuinum namque donum est, & à rationali anima productũ, vnde etiam oratio vocatur: partus enim animæ rationalis oratio est, perquã, & cæteris animalibus præcellimus; sicuti corporeis prærogatiuis, puta celeritate, robore, magnitudine, & alijs fere omnibus, nimium quantum ipsa nos vincunt. Vnde & ipse Poetarum Princeps canit.*

odyss σ adag. homo bulla.

Tellus nil profert homine imbecillius ipso.

*Quod autem oratio diuinum sit donum, audi cum Iobo Creatorem ipsum disserentem: Vel tu puluerem in terra capiens animal formasti, & loqui potentẽ in terra collocasti? Etsi enim quidam,* τὸ λαλητὸν *pro vocali, et sonoro hic exponant, potius tamen id* λογικὸν *id est ratione, & oratione præditum significat, quod per* τὸ λαλεῖν*, siue loquelam percipitur. Quo pacto enim clarum, & celebre quid fiet, si desint qui*

38. 14. Conf. ep. 244

*ipsum*

ipsum ratione proferant? Hinc & Sanctus Paulus inter omnia dona, & charismata cœlestia, supremum statuit Sermonem Sapientiæ. Itaque diuina quædam res oratio siue sermo est, diuinior verò ipsa virtus, diuinissima autem fides: vnde orationem veluti ornatum esse dicimus, virtutem verò, velut corpus, fidem denique ad instar animæ. Is itaque perfectus est vir, cui tria hæc adsunt: cui verò aliquid horum defuerit, at præsertim primum ac summum, ille imperfectus est, quoad id nempe, quod ipsi defuerit. Tametsi enim tria hæc magnopere inter se differant (primum siquidem magnum, alterum maius, tertium verò maximum est) necessarius tamen est illorum concursus, & coniunctio. Etenim sermo, tametsi flumine profluentior sit, quomodò eum, qui virtute velut corpore caret, exornabit? Nam vbi deest quod exornetur, frustra est, & omnis ornatus? Quo enim is pacto aures non molestè obtundat, qui sola voce philosophatur? Satius quippe est corpus sine ornatu, quam ornatum sine corpore habere. An non quoque virtus mortua erit si à fide, velut anima, non animetur? Quomodo verò apparebit fides, si virtute, per quam operetur, destituta

1. Cor. 12. 7.

Iacob. 2. 17. 20 & 26.

*stituta sit? Quemadmodum enim præstantissi-*
*mus musicus, si citharam non habeat, etiam*
*ipsam pulsandi artem ostēdere poterit? ad eum*
*dem modum, & pietas per opera, ceu per instru-*
*menta musica deforis se non ostendens, mortua,*
*& inefficax esse videtur, non Ethnicis solùm*
*id testantibus sed et litteris sacris.* Fides enim,
Iacob. 2.17.20 & 26. *ait Apostolus*, sine operibus mortua est.
*Quamobrem qui solum sermonem habent, nul-*
*latenus glorientur, ac si iam omnia rectè ha-*
*berent. Desunt quippe illis partes duæ præstan-*
*tissimæ Virtus, ac Fides. Nec, qui virtutem*
*habent, sine sermone, & fide, superbiant: deest*
*illis namque & sermo, & fides. Nec qui fi-*
*dem habent, si operibus, & sermone careant,*
*alios damnent. Conuincuntur enim illam ope-*
*ribus denegare. Sed vnusquisque quod deest*
*sibi comparare studeat, vt fidem ceu animam,*
*virtutem velut corpus; sermonem denique*
*vt ornamentum habentes, tum hac in vita*
*clari euadant, tum in altera probati, & coro-*
*nati triumphent.*

*Dometij filijs.* 163

De fratris obitu redituque ad suos.

T*Ametsi frater, vester quidem secundum*
*carnem, noster autem secundum spiritū*
*hinc*

*hinc nuper recesserit, quasi non amplius huc rediturus, nisi vos lucrifecerit; iterum verò huc reuersus sit, quasi non amplius recessurus, cum captura sua, & intentione frustratus sit: attamen, charitate subactus rursum reuertetur, quo vos ad vitam venetur, & conquirat.*

*Eisdem.* 164

## Ad virtutem colendam Gentilium inuitat exemplis.

*QVamquam eo nomine, quòd sanctissimã abhorreatis religionem, passim omnibus innotueritis ac clari sitis, nec ob aliud quippiam; (etenim prout inaudiui vt diuinam eam suspicitis) quia tamen virtutem sectari non vultis, (corporales quippe voluptates sectari maluistis, vti quidem fama est) hinc, quamuis serò vobis persuasum sit oportet, improbitatem, infamiam, dedecus, supplicium; virtutem verò honorẽ, decus, & coronas afferre. At si fortè voluptatem aliquam vitio inesse existimetis, virtutem verò laboribus, & sudoribus esse obnoxiam; cogitare vobiscum ipsi debetis, voluptatem propemodum priusquam appareat extingui: virtutem*

autem immortalem in se delectationem habere. Illam quidem per latam ac spatiosam viam ingressam, tandem in locum angustum, & impeditum desinere; hanc verò, varios per labores, ac sudores insedentem in amplam quamdã animi tranquillitatem terminari. Quod si nostratibus fidem non adhibeatis, vestratium testimonijs id vobis persuadere conabor. Plato namque Philosophando celebritatem nominis est consecutus. Dionysii verò, quod tyrannicè regnarit, memoria penitus intercidit. Socrates omnium in ore versatur, Archelai verò Regis nulla prorsus fit mentio. Solon ab omnibus deprędicatur; at Cræsus, qui omnium se hominum esse putabat fælicissimum, & viuus in manus hostium incidit, & ignis Persici pabulum propè futurus erat. Si verò dixeritis, illos Philosophos fuiße; veniam & ad eos qui Reip. præfuere, & vnà cum Philosophiæ studio exercitus duxerunt. Thebanorum dux Epaminondas, qui

Valer. Max. lib. 5. c. 2. Lacedæmonios ad Leuctra deleuit, cùm nonnisi vnam haberet vestem, atque eò quòd illa ea die lauanda esset, nec aliam quam indueret haberet in comitia, & conuentum publicum venire non poßet, omnibus Persarum Regibus clarior euasit.

Valer. Max. lib. 5. c. 3. Aristides verò, qui in tanta inopia vixit, vt vita functum Atheniensis Resp. ære

suo

*suo sepelierit, filias verò ipsius dote de publico data nuptui tradiderit, omnibus illis, Callia scilicet qui auro in fossa inuento ditissimus fuit, & Alcibiade opibus, nobilitate, & potentia præstantibus, euasit illustrior. Ea ergo, quæ deprædicatis venerati, & suspicientes, virtutem amplectimini, per quam facili negotio etiam ad diuinam religionem perducemini.*

## *Lampetio Episcopo.* 165

Quamuis in Zosimo admonendo operam perdiderit, præmium tamen laboris apud Deum repositum esse. *Conf. ep. 103 116.*

T*Ametsi ad instar optimi medici, ex alienis malis proprium dolorem percipientis, multum laboris impenderis: vt qui incurabilem Zosimi morbum non solùm optimè perspectum habeas, sed & cauterium ei adhibueris, & igne, & ferro verborum vsus: cumque multis contra impietatem grauiter, seuereque allatis, multis quoque placidis, & salutaribus consilijs suppeditatis: nihil præter irrisionem, & odium, ab illo retuleris: tu tamen hoc in opere segnescere noli, sed magna te à Deo propterea præmia accepturum scias.*

*Isidoro Episcopo.* 166

De irrito Paganorum conatu in Martyrum persecutione.

*ETsi nefariorum dæmonum, & simulachrorum immobilium cultores, ea in diuini verbi præcones tormenta, & supplicia excogitarint, quæ nec verbis proferri, nec re ipsa tolerari possent, vtpotè hoc pacto eos perterrituri, & ab orthodoxa etiam abducturi opinione; hæc tamen omnia ab ipsis tolerata fuere, & omnia tanquã ad oppugnatorum victoriam illustriorem reddendam, & ad exitium ipsorum auctorum destinata cesserunt.*

*Didymo Presbytero.* 167

Conf. epist. 554. Primum est vincere, nec vnquam superari, proximum, quamuis principio superatum, tamen vincere, si primum assequi nequeamus, studendum posteriori.

*SAtius multò est, vir sapientissime, victoriam nulla vmquam clade inquinatam referre, quam post acceptam cladem vincere*

*Illud*

*Illud namque licet finem suum attingat: attamen & principium habet commendabile, hoc verò, etiamsi finem suum assequatur, à clade tamen initio accepta obscuratur. Itaque prius illud melius est; si verò id iam sit elapsum, secundum illud partes secundas obtineat; Etenim potius est, post acceptam pugnam reiterare, quàm in accepta clade perseuerare. Neque enim illud tot partibus cedit primo, quot postremum excedit. Quinimò, licet hic non adeo ac primus laudetur, nihilominus laudatur; alter verò explosione ac risu dignus est, & omnium ludibrio exponitur.*

*Timotheo.* 168

Quæ Principi necessaria. Solon dicebat duobus Remp. contineri, præmio & pœna. Cicero epist. ad Brutum. Adfert hanc epist. Suidas in Ἰωαν. Ἀντιοχ.

*PRincipem, prout mihi quidem videtur, oportet, & bonum esse, & terribilem: Vt, qui probi sunt, & rectè vitam instituunt, in illo fiduciam habeant, peccantes verò metuant. Alterum quippe sine altero, non regnum potius est, quam regnum. Etenim si omnes subditi,*

*virtutis essent cultores; sola tunc opus esset bonitate; si omnes vitium diligerent, solo terrore: Cùm autē inter eos, alios necesse sit bonos, alios improbos esse, vtrumque is qui regit, adhibere debet: vt modestos ac temperantes bonitas illa confirmet, perditorum verò hominum scelera metus coerceat.*

*Apollonio Episcopo.* 169

Conf. Greg. Nyss. c. 25. lib. de Virgin.

Hortatur vt virtuti studeat sine ostentatione. Ostentatio enim odium; humilitas fauorem conciliat; nec virtus solis instar diu latere potest.

*LIcet quidam tuorum familiarium meum ad te scribendi impetum extinguere conati, retulerint te, & assentatores nimio in pretio habere, & sanum tibi consilium dantes paruipendere; tamen non facilè mihi quis persuaserit tantum aliquem, vel prudentia, vel operibus posse excellere, nisi quis alia quidem discat, alia verò audiat, alia denique ipse inueniat. Hac ergo de causa ad te scripsi: at si fortè liberius, quam qui tibi proximi sunt, scribo, ne propterea turberis; sed vel eo nomine consilia mea admitte, quod id quod decorum*

rum mihi est potius, quam quod vtile elegerim. Itaque quod dicere decreui, statim missis ambagibus dicam. Sapientes enim nullo verborum apparatu opus habent. Sed quod bonum, & honestum est, simpliciter, & sine vllo artificio facere solent. Si virtutem colis, noli eius pulchritudinem ac decus ostentando obscurare. Etenim virtus cùm magnum quid sit; si quando seipsam suo iudicio non prodat hominibus, & maior, & pulchrior esse videtur. At si fore putes nisi eam ostentes, fore vt in obscuro lateat; contrarium tibi persuadeas velim, nempe tum te clariorem fore, cùm minimè te ostentaueris: nam humanum genus semper in contrarium nititur, & arroganter sese ostentantibus aduersatur: sed humiliare se ac deijcere satagentibus, non sine voluptate quadam vltro cedit, & illorum quidem arrogantiam reprimens, etiam ea mala, quæ ipsis non insunt attribuit: in his verò, etiam illa bona, quæ non adsunt deprædicat. Cæterùm fieri nullo modo potest, vt virtus in obscuro delitescat, imò licet inuidorum maleuolentia nonnihil obscuretur; iterum tamen effulget, & ipsis obscurantibus præualet. Quemadmodum enim lumen absconditum latere nequit, ita nec virtus. Atque hæc quidem de hominum

iudicio

*iudicio dicta sint, si verò diuinam quoque sententiam scire velis, habes in sacris Euangeliis.* Luc. 18. 10. *Quæ de* Pharisæo, & Publicano, *clarè perscripta sunt.*

*Timotheo.* 170

Sat citò, si sat benè.

S*Vbuereri mihi visus es, ne honesti, & præclari facinoris gloriã temporis longinquitas imminuat: sed noris oportet, longè id esse vtilius quod cum tarditate tutum ac securum est, eo quòd cum celeritate est periculosum. Nã non minùs, sed & magis illustres sunt, qui consulto consilio; & cunctabundè similia opera facere, quam qui ob celeritatem celebrantur. Hi namque & facultatum, & corporum impendio vicisse videntur; illi verò sine vllo detrimento victoriam decerpunt: & hi quidem puram sollicitudinis ac tædij voluptatem non habent; illi verò sincerum ac liquidum animi gaudium percipiunt.*

*Leontio, Lampetio, Alphio Episcopis.* 171

Primum consulto dein facto opus est. Dementiæ est malè consulere, leuitatis quod certum est, non perficere.

Q*Vod bonum, & honestum visum fuerit, id fiat, & quæ deliberata semel, & consulta*

*sulta sunt, operibus ipsis statim confirmentur. Qui enim consulta exequi non valent, hos in alterutrũ impingere necessum est, nempe vt vel viribus suis maiora decernant, vel quæ decreuere citò rescindant. Quorum illud cum extrema imprudentia coniunctum est, hoc verò exiguam veniam meretur. Qui verò vtrumque coniungere possunt, rectè inquam consulendi, et quæ decreta semel sunt, ad exitum perducendi facultatem, in alterutro peccantes, inexcusabiliter accusandi sunt.*

*Isidoro Episcopo.* 172

## Amici quomodo parentur.

*QVi pro amicis, & necessarijs sollicitus est ac laborat, & in illorum bonis gaudet, in malis verò, & aduersis contristatur, ne ille egregius est vtilitatum quas amicitia continet, indagator ac sectator. Tot enim sibi deuinciet amicos, quot homines conspiciet, tot autem conspiciet, quot ad illum famæ celebritate illecti confluent; tam multi verò confluent, quot bona, & honesta instituta efflictim diligent. Ecquis igitur futurus illustrior vel beatior illo, qui tot amicorum satellitio stipatur?*

Andromacho. 173

Conf. ep.17. 46.65

## Ad bonam rurſus frugem inuitat.

*VEl videndo non ama, vel amans non vide. Si prius illud quibuſdam perdifficile, alijs verò, & impoſsibile eſſe videatur; ſecundum certè exercendum eſt. Melior namque ſecuritas eſt inconſiderata contentione, atque hoc nobis diuina oracula præcipiunt. Sed cùm ipſe profanas Gentilium Hiſtorias præferas, etiam ex illis ſententiæ huius veritatem tibi adſtruere conabor. Præteribo autē cauſas belli Troiani, Meſseniaci, Cirrhæenſiū aduerſus Argiuos, Thebanorum item aduerſus Phocenſes, vtpote nimis quàm decantatas, & protritas: hæc namque bella omnia, & decennalia fuere, & feminarum cauſa geſta ſunt. Ex ſcriptis verò Xenophontis, quibus et ipſe deditus es, argumentum adferam. Cyrus ergo qui Pantheiam feminam tametſi incomparabilis pulchritudinis eſſe diceretur, ne videre quidem voluit, non ſolùm a libidinis tempeſtate in tranſuerſum abreptus non fuit, verùm etiam ob continentiā clarus euaſit. Araſpas verò, licet inſolenter ſe iactaret, quòd videre eam poſset, & non amare, in tantam veſaniam incidit, cùm amore illius*

*illius captus & supplicans desiderio suo non potiretur, vt Cyrum mille machinas adhibere oportuerit, quò illũ à turpi desiderio, quod animo conceperat, auerteret. Vtrum ergo horum laudabiliorem cẽses, an eum qui tuta securaq; via incessit, & in præsens vsque tempus ob tẽperantiam continentiamque prædicatur; an verò qui intempestiua contentione fœdam sibi ipse maculam adspersit, ac tunc temporis quidem propriam libertatem amisit, posteris verò occasionem dedit, primò quidem eius iactantiã, deinde infamiam ignominiosè cauillandi? Quamobrem, & ipse rectè res tuas moderare, neque intempestiua ambitione, & iactantia exagitatus in libidinis voragines teipsum præcipitem immitte.*

## *Paulo Monacho.* 174

Fratrum trinam ob virtutem commendat.

T*V quidem, laudibus dignus es; frater verò senior, dignior; at natu maximus dignissimus: nam cum ætatis gradibus crescit & virtus. Vnde & tu, & frater natu maior; in spem bonam venitis, fore, vt accedente, & crescente ætate, fratri natu maximo neuti-*

*neutiquam cedatis, sed ipsius exemplo celebres, & clari euadatis. Cùm ergò cognata, & domestica virtutis exempla habeatis, in hæc ipsa scopum vestrum dirigite.*

*Hieraci Diacono.* 175

Improbitas, etsi principio lucro esse videatur, tamen finem respiciendum monet.

T*Ametsi turpi, & illiberali lucro inhians, & nimio pecuniæ cupidine flagrans præclarè te rem gessisse existimes; attamen, quę ipse quam maximè appetis, & consectaris, ea ad gloriam, & honorem comparandum turpissima sunt. Si verò & pœnam huiusmodi conatus vbiuis, & per omnia comitãtem recogites, certissimè futurum noui, vt teipsum aliquando deplores. Vide igitur quid è re tua sit: nosti enim, quinam exitus cùm in hac, tùm in futura vita, tandem peccantes maneat.*

*Eidem.* 176

Conf. epist. 160. 196.

Vitio careat, qui in alterum dicit.

H*Omo dissolutus, & intemperans, hoc est, qui negligenter viuit, & proprias concupiscentias adeò non compescit, vt & liberas*

*eis*

*eis habenas permittat, vt quocumque libeat, effrænes ferantur; si alienas comprimere, & reprehendere conetur, omnium risui, & opprobrio se exponit. Etenim non solùm nihil perficiet, sed & deridendum se propinabit. Cùm ea in aliȷs emendare tentat, quæ in se ipse minimè correxit. Non enim facilè alienas passiones potest expugnare, qui proprias compescere ac superare nequit. Perinde enim facit, ac si Dux quispiam militaris, cùm propriam ciuitatem bello intestino distractam, & laborantem, ac seditionibus exagitatam, ad concordiam, pacemque reducere non possit, in externis bellis victoriam sibi promittat. Cui meritò quis dixerit: an nescis, fatue, non tantum externa, quantum domestica bella cladis inferre? Quamobrem, internum prius bellum restinguēdum, ac tū demùm externi hostes adoriēdi.*

*Epiphanio* 177

De ijs quorum vita doctrinæ non conuenit.

*CVm mirari te dicas, quomodò cùm sacræ nos litteræ quietos, & tranquillos esse iubeant, etsi iniuria afficiamur, illarum tamen interpretes, etiam nemine illos lacessente aut lædente, quieti esse nolint. Siquis verò* Matt. 5 39.

*illos*

*illos reprehendere, & arguere aggrediatur, cõtumelijs se proscindi dictitent, & illum, tamquam in sacrilegio deprehensum criminis arcessunt. Talia verò cùm faciant, molestè ferunt, quòd ab Ethnicis, & Iudæis propterea sugillentur; te quidem, vt vaniloquum, carpere nequeo; sed eos qui talia faciunt, neque enim omnes promiscuè damnandi libenter interrogarim. Cur facitis cõtraria ijs quæ dicitis? Eccur alia docere, alia agere conamini? Cur Gentiliũ, ac Iudæorum linguas exacuitis, & ijs contra Sacrosanctam Religionem nostram arma suppeditatis, quos virtuti non vi aut potestate superare oportet? Itaque vel huiusmodi factis abstinendum, vel nullus alius quod omnia malè se habeant, tantum, quantum nosipsi, culpandus.*

*Heliæ Diacono.* 178

Qui palam peccare audet; is nec priuatim sine teste peccare verebitur.

*QVisquis publica, & euidentia mala palàm committit, neque ob id erubescit; hunc certum est, dummodò latere possit, nihil quamuis nefandum non perpetraturum, & cùm maxima ausus fuerit, nequaquam*

*quam erga minora negligentem fore. Sed qui à paruis sibi cauet, eum verisimile est & à maximis abstenturum.*

## *Isidoro Episcopo.* 179

### Quæ animæ mors & resurrectio, quæ item corporis.

T*Vnc animæ per peccata mortuæ resurrectio hic peragitur, quando operibus iustitiæ ad vitam reformatur; mortem verò illius intelligere oportet, mala & iniqua opera, non autem abolitionẽ, vt omnino esse desinat. Hinc & de filio prodigo adhuc viuente dictum est.*
Mortuus erat, & reuixit. *Et homini peccatis* Luc. 15.24.
*mortuo, & sepulto dicitur.* Surge qui dormis, Ephes. 5.14.
& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Nam qui mortem peccati per pœnitentiam expulit illi verum lumen exoritur. Corporis verò resurrectio, in altero sæculo peragetur, quæ in omnibus quidem hominibus, quoad immortalitatem æqualis erit, at non quoad gloriam: hæc enim vnicuique pro ratione eorum, quæ hic fecit dispensabitur, vti certa & infallibilia sacræ scripturæ testimonia docent.*

*Leontio Episcopo.* 180

De ira, molli & blanda oratione sedanda.

*EOs qui implacabili ira succensi sunt, lenibus & persuasibilibus verbis castigare, aut docere potiùs oportet, vt à spontaneo hoc furore absistant. Etenim si nimium efferuescat in homicidium desinit.*

*Hypatio Remp. gerenti.* 181

Auaritiæ morbus quibus remedijs curandus.

Conf. ep. 79. 113. 142.

*ACcensum ignem qui extinguere cupiunt non apponunt ei materiam, quæ facilè flammam concipiat, neque aliud ei nutrimentum subijciunt, quo is inaugeatur & indomabilis fiat; sed restinguentibus adhibitis flammam compescunt. Itaque si & ipse auaritiæ fornacem extinguere velis, hoc te, non adiectione, sed detractione, facilè perficere posse spera. Cupiditatem porrò pecuniæ extinguunt eleemosyna, & indigentibus exhibita beneficentia.*

Lucæ

*Lucæ viro clarissimo.* 182

Auro ius peruertitur: at vir iustus ex æquo & bono, non ex affectu iudicat.

*ILli iustitia videtur esse recta, qui opes non concupiscit, & cui animæ oculos nullum lucri studium præstinguit.* Si *enim* munera sapientum oculos excæcent, *quomodo insipientium non excæcabunt? Quemadmodum enim si lanci ab vna parte aurum addideris, statera deorsum vergit, & iugum ostendit inæquale: pari modo, quando is, penes quem iudicandi potestas est aurum accipit, nihil rectum vel sanũ iudicabit. Qui verò iudiciorum finem ipsum iustum, non verò suam ipsius statuit voluntatem, illuc calculum ac iudicium suum inclinare facit, quò ius et æquũ propẽdere conspexerit.*

Exod. 28.8. Deut. 16.19. Eccl. 20.31.

*Alphio Episcopo.* 183

Contra illos qui spontaneam paupertatem professi, opes omnibus modis corradunt, & eleemosynas pauperibus debitas interuertunt.

*EQuidem fatuos reputo eos, qui cùm in verbis facilè contradictiones aduertunt,*

*operibus eas non perspiciunt. Nam cùm syllogismorum rationibus quid verum, rectumque sit proposuere, dictis suis repugnantia, & contraria facere non verentur. Itaque cùm nihil possidere, & paupertatem, maximum esse bonũ (vti reuera est) constituant, ex alienis tamen damnis ac calamitatibus questum faciunt; & cùm Eleemosynam laudibus ad cœlum efferãt, bona illorum quorũ cum miseratione indigent, in suos vsus conuertere non erubescunt; & cùm rerum communionem, et promptam liberalitatem extollant, opes coaceruare non verentur.*

*Hieraci Diacono.* 184

## In malis acutum hebetem in bonis iubet animi oculum purgare, vt bonum malumque dignoscat.

*OMnes propè, qui virtutem cordi habent, referunt, acutùm te in vitijs cernere, in honestis verò prorsus cæcutire. Quamobrem si hæc ita se habeant, mentem tuam expurga: illa enim animæ oculus est. Ita forsan honesta, & turpia discernere poteris; hoc enim examine adhibito, illa quidem sequenda, hæc fugienda constituas.*

*Harpo-*

## *Harpocræ Sophistæ.* 185

### A ludis & spectaculis, vt abducat suos hortatur.

Conf. ep. 186 517.

PVeros qui prauis moribus innutriti sunt, haud facilè ad generositatem virtutum ope assurgere, per ea quæ scripsit, satis etiã tua prudentia declarauit. Hoc verò ita se habere, mox ipse pluribus ostendam. Temperantiam quippe ijs eripit assidua cum intemperantibus & lasciuis familiaritas: prudẽtiam, quòd vtilibus & proficuis legendis operam impendere nolint: fortitudinem autem histrionibus mollicies: iustitiam denique ijs eripiunt mimorum periuria. Cui verò debito cum decoro hi, vel condoleant, vel congaudeant, quos duorum alterutrum, vel ridere, vel turbari necessum est? Quorum primum scenæ, alterum circi munus est. Itaque periculosum esse ratus iuuenes spectaculis capi ac delectari, illis hæc interdicito, potissimum quidem verbis, si verò auscultare nolint, etiam metu incusso. Sic namque facili negotio, & viros probos, & insignes oratores efformabis. At si (quemadmodum scripsisti) molestum & graue reputent quòd ab illa voluptate et delectatione arceãtur

quæ Sirenum cãtui per omnia similis est, quem ab hominibus non audiri potius conducit. Quod si iam vsu eam receptam, & concessam esse asserant, id norint, quòd fortassis vnà cum alijs plurimis rebus bonis ignorantes iuuentutem iniquè & secus quàm oportebat tractari putant: nimirũ eos qui delectationis huius mortiferam voluptatem primi in ciuitates inuexerunt, & venenum hoc hostis generis humani (qui etiam fortuitas ad libitum occasiones ad perdendas spectatorum animas conuertit) commiscuere, non temere, & sine intentione aliqua hoc fecisse (etenim ne externæ quidem leges id vmquam permisissent) sed rationabili quadam causa, & ratione motos. Videntes namque exercitus à Regibus instructos toto vitæ tempore in arenis exerceri, plebem verò vrbanam, ab armorum periculis immunem in profundo otio degere. Cognito verò eos, qui in tali inertia viuerent (neque enim omnes otio bene vtuntur) non rarò res nouas moliri, rati autem seditionum radicem stirpitus exscindendam, nec duplex ciuitatum rectoribus bellum, externum videlicet, & internum relinquendum esse, hanc occupationẽ adinuenere; & quiduis temere audere solitis præpararunt ac suppeditauerunt quamdam inuicem contendendi occasionem;

quæ

*quæ quidem nihil tale moliri ac perficere posset, sed animi ardorem erga eam cõsumere valeret. Tale porrò est, continua illa equorum concertatio: ciuilis, inquam, quædam contentio, prouocans ad hoc certamen eos, qui cùm nihil boni facere velint, fortasse deterius aliquid animo excogitarent. Tale quid etiam varius ille orchestræ apparatus est, hos enim spectaculis pascere, illorum verò aures recitationibus quodammodò incantare videbatur. Quæ licet nequitia, & improbitate referta sit, seditiosa tamen consilia impedit. Hæc verò permisere, quo (vti quidem arbitrati sunt) minoribus ea quæ maiora essent, quietem videlicet ac securitatem mercarentur, adolescentes autem ad virtutem institutos, & optimè moratos, & compositos, hisce interesse nefas est, vti & viros quibus animarum suarum salus est cordi. Itaque non prohibentur, quò minus intersint, sed ab omnibus probiores iudicantur, quòd perniciosa hac delectatione abstineant: præsertim quòd in ciuitate si omnes plebei & viliores resipiscentes quiescerent, & ad sapientiæ studium sese applicarent, theatra occluderentur, vel etiam aperta à nemine frequentarẽtur. Quin & malè in ijsdem decertantium artificium seù potius maleficium periret triaque maxima inde con-*

*sequerentur bona, videlicet, animarum salus, ciuitatum tranquillitas, ipsa denique Principum securitas. Et hæc quidem ipsi ex te audiant. Quoniam verò & à meo ore aliquid proficisci oportere arbitratus es, quasi magna quædam (quod equidem non existimo) præstituro, idcirco, ne te videar contristare ipsis quoque scribere volui.*

## *Græcorum liberis.* 186

### Vt à ludis reuocet pueros. Virtutem ijs commendat, illamque diuitijs præfert, & ad eam colendam prolixè hortatur.

*O adolescentes (vobis namque, iam primùm velut viuere incipientibus, nihil impertinens & ineptum adferre dicendo, sed ipsissimam veritatem nudè proponere oportet) omnium quæ, & reuera sunt, & esse videntur, bonorum maximum & pulcherrimum est virtus: & qui eandem sectantur, perinde se habent si cum eadem carentibus comparentur, atque hi postremi cum feris & Angeli cum hominibus collati: Angelis enim persimiles, hi per compita incedunt. Quemadmodum enim faces in tenebris*

*bris derepentè prolatæ omnium in se oculos cõuertunt; sic & hi alios suo splendore præstringunt & illuminant. Hi porrò rebus suis relictis, ad vocem vocantium hilares & exultabundi sequuntur, & perinde erga eos se habent, atque oues erga pastores, ab illis se ad optima quæque duci sinentes. Alij verò morigeros & obsequentes hos benignè suscipientes, ad instar Prophetarũ, ijs res futuras exponunt. Quoniã enim multi eorum, qui parum de virtute solliciti sunt, apud quos videlicet præsens voluptas, et inertia plus potest quàm futura vtilitas: qui ob inexplebilem quidem suam cupiditatem, & iniquitatem præsentia hæc diligunt, ob morum verò corruptelam ea quæ post futura sunt, nequaquã præuident, de ijs solùm quæ præsentia, & velut in manibus sunt, solliciti dicunt,* præsentia rectè cura. *Hinc illi futura cõsiderãtes, ea alijs præsignificãt, ac rebus ita succedẽtibus, vt præmonuerant, coronã accipiunt, & celebrãtur. Hi sunt qui dum viuunt vrbes inclinatas erigunt, stantes autem exornant, post mortem verò, etiam desiderij aculeum relinquunt. Iustorum namque sepulchra illustria sunt, genus eorum in honore & memoria perennis. Etenim virtutem possedere, quam nullus occupare interitus potest. Corporalium namque facul-*

*facultatem, & donorum quælibet facilè extinguuntur, & fluxam ac momentaneam gratiã habent: quales sunt pulchritudo, velocitas, robur: nam corpore corrupto, etiam illa euanescant & pereant necesse est: soli autem virtuti, vtpote quæ in immortali anima habitat, nulla accidere potest mutatio. Totis igitur viribus virtutem vos colere & exercere conuenit, non verò fictè eam videri exercere. Hanc nec opibus coaceruandis inhiantes negligite: nam illæ præ hac viles sunt, & contemptibiles: eas enim uobis nullo negotio quis eripiat, modò quidem clanculum, modò maiore potentia pollens; at virtute nemo vos priuabit, ne quidem si à corpore separet. Virtutem hic intelligo (ne vocis vos decipiat ambiguitas) non eam quæ in bello se prodit strenuitatem; quæ in improbis frequentius quàm probis adest; neque victoriã Olympicam, quæ etiam indiscriminatim quibusuis obtingit; vti nec eloquentiam & in dicendo peritiam. Etenim præclarè dixit Thucidides.* Imperitia cum modestia vtilior est, quàm solertia cum intemperantia coniuncta. *Nec denique aliud quid eorum, quæ cum præsenti vita dispereunt & euanescunt. Sed eam, quæ cum Temperantia, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Benignitate, Aequitate, Sapiētiæ*

lib. 3. bell. pelo-ponn.

*studio,*

*studio & alijs id genus rebus coniuncta & adinstructa est. At, dicat quis, multi indigni in summa felicitate agunt, & virtute destituti opibus abundant. Idem, & ego fateor. Sed minimè video quomodò hoc iure quemquam à virtute deterrere debeat. Etenim si quis clarè & ad oculum demonstrare possit, vtrumque hoc, virtutem inquam, & felicitatem, lege naturæ in eodem conuenire non posse (quamquam ne sic quidem consentaneum rationi fuerit virtuti diuitias præferre) id tamen fortasse negligentiam hoc prætextu vtentem excusaret. Cùm verò quosdã, & virtute optimos, & simul bonis fortunæ abundantes, in hac vita reperire sit; quid fugitis virtutem, quasi hac neglecta omnino diuites futuri sitis? Neque enim diuitias possidere in eo situm est, quòd virtute quis careat; sed & sæpenumerò ipsa virtus accedit, & adiungitur diuina prouidentia; sic illos quidem pro merito remunerante, horum verò miseriam misericorditer sic subleuante. Quòd enim veris bonis cœlestibus videlicet, semetipsos priuarint, hinc ijs Deus temporalia largitur, omnẽ illis hac ratione excusationem præscindens. Hoc ergo considerate etiam virtute absente quosdã feliciter agere; sed & quosdam virtute præditos, felicitate quoque vsos*

*fuisse.*

*fuisse. Verum enimuerò si quis exactè rem inquirere voluerit (tametsi quod dicturus sum paradoxum, & nouum videbitur, dicam nihilominus) omnibus sæculis comperiet, probis, non autem improbis, veram felicitatem obtigisse. Felicitatem porrò hic voco, ipsam sufficientiam: lubrica etenim in intemperantiam, & luxum propendet fortunæ affluentia. Qua quidem in re minimè mihi fidem negabitis, cùm & Isocratis oratio exhortatoria vobis idipsum occinat, quæ certè nec temere scripta est, nec facilè refutari potest, sed ipsa quoque veritate munitur.* Diuitiæ, *inquit is,* vitiorum potius quàm virtutis honestatisque sunt administræ: ad socordiam namque viam sternunt, & iuniores ad voluptates inuitant. *Si autem vulgo secùs videatur, eò quòd felicitatem, quæ talis quidem esse videtur, reuera autem non est sectetur, neutiquam mirandum. Qui enim præter meritum ditescunt, hoc ipso quòd præter meritum id eis eueniat magis innotescunt, sed quos ex meritò fortuna fouet, hoc ipso quòd merito suo prosperè agant, nemo miratur. Quod enim præter opinionem accidit, maiores de se hominum sermones concitat. Hac de causa fortassis hi qui præter meritum*

Paræn. ad Dæmonic.

*feliciore*

feliciore fortuna vtuntur, quamuis pauciores sint plures tamen esse, quam alij videntur. Demus itaque (nam ex comparatione quid verum sit considerandum est) hos inter se pares esse; vtrum meliores sint diuitiæ cum virtute; an ipsæ solę per se? Etenim illa, deficiente felicitate virtutis possessioni confidere possunt: has verò prosperitate destitutas, inglorias manere necesse est. Ponamus ergo, vt omnem socordiæ viam præcludamus, hęc sua natura separata ab inuicem esse; & his quidem virtutem, illis verò diuitias separatim obtingere, & felicitatem hanc numquam immutari, vti Crœso accidit. Quis ergo, non malit Solon, quam Crœsus esse? quis non Plato, quàm Dionysius? quis non Socrates potiùs, quam Archelaus? & quid plures Philosophos commemorare attinet, eosque cum tyrannis illis comparare, quorum etiam memoria omnis prorsus extincta esset, nisi per istorum virtutem, & sapientiam stetisset? Quapropter etiam his omissis, ad disquirendum sermonem conuertam. Si ergo virtus quidem diuitijs præstet; vera autem felicitas solos probos comitetur, & externa quoque seu apparens eosdem sequatur: etiamsi eo, quòd ex merito clari sint, nullam sui admirationem excitent, cùm

*improbi eò quod citra meritum ditescunt, magis versentur in hominum ore, & plures numero esse videantur. Verùm etiamsi pares essent numeros, meliores tamen forent, qui cum virtute felicitatem habent: & licet natura hæc ab inuicem distincta essent, virtus præ felicitate esset eligenda: cur segnescimus virtutis coronam prodentes? hæc ergo, & alia plurima, ò iuuenes, iam inde à primis annis virtuti studendum est; nec minus, quin imò etiam magis, ob ea quæ iam dicam. Qui enim in senectute eam amplectitur, omne reliquum vitæ tempus in criminibus prima, secunda, atque etiam tertia ætate commissis delendis consumit, & omne illius studium in hoc vnum impenditur. Ac sæpe ne hoc quidem sufficit; siquidem commissa crimina irremissibilia; & grauia sint: sed ad sincerum iustumque Iudicem vulnerũ suorum reliquias secum deferens, decedet. At qui iam inde à prima adolescentia virtutem complexus est, suum tempus his non impendit; nec velut in medica desidet officina, vt insanabilia sua vlcera illic curent, & prætereuntes omnes sortem illius miserentur: sed iam inde ab initio, illustres consequitur laureas. Et ille quidem gaudet, & dulce reputat, si post omnes priores clades, vel denuò pugnare possit: hic*

*autem*

autem iam inde ab ipso cursus principio, trophæis ac faustis acclamationibus plenus exultat, & victorias victoriis connectit; atque olympionicis à prima stadii linea, per faustas acclamationes, ad instar præmium contendentis, ad agonothetam, & huiusmodi certaminum iudicem Deum, multis & egregiis caput coronis redimitus deueniet. Quòd enim post excessum ex hac vita diuinum quoddam supersit tribunal, vbi non in facta solum, & verba, sed & in cogitationes ipsas accuratè inquiretur; testantur, & philosophi, & oratores, & rhetores, & poetæ, atque adeò scriptores omnes: quorum etiam sententias huic cohortationi meæ adiunxissem, nisi existimassem fore, vt vobis tacitè aliquam contumeliæ notam affricarem, vtpote quorum aures huiusmodi doctrina personant. Porrò si iudicium est (vti reuera est) virtuti certè est incumbendum. Quòd si autem nonnullis difficilis ea esse videatur, vobis certè perfacilis est futura, si Theatra, & ludos curules, communem orbis pestem fugiatis: quin potius, non tam vniuersi orbis, quam vrbium in quibus id genus spectacula exhibentur; nec tam vrbium, quàm eorum qui ea diligunt & in huiusmodi mala affectu propendent. Tota ergo animi contentione ad virtutis certamina

se ac-

*se accingere oportet, vt qui claris parentibus nati sunt, genus suum non dehonestent, qui autem ex humilibus sunt editi, parentes suos illustrent: vt diuites ornamentum, pauperes perfugium sibi comparent: vtque patres vestri vos venerentur; & adolescentes aliunde aduenientes, vos patrum loco habeant. Etenim vobis sic agentibus, & fulgidam virtutis lampadem accendentibus, etiam diuinus Christi splẽdor cælitus vobis affulgebit, & ad seipsum vos attrahet; qui & cælorum vobis regnum, & illustrissimam Sanctorum, qui in eo sunt dignitatem & maiestatem reuelabit.*

*Aegypio Presbytero, fort. Alypso.* 187

Conf. ep. 191

Anima quomodo diuina essentia dicatur.

*ANimam quidem diuinam esse existimamus, non tamen diuinissimæ & supernobilissimę naturæ portionem; immortalem quoque non tamen eiusdem cum principij experte, & creatrice natura substantiæ: Si enim ineffabilis illius naturæ particula esset, non vtique peccato, & iudicio obnoxia fuisset: si verò hæc quę dico patitur, supremæ illius substantiæ facturam non partem, iure meritò quis*

eam

*eam credat: ne natura diuina ſemetipſam iudicaſſe, vel potius condemnaſſe deprehendatur.*

*Euangelio Diacono.* 188

Virtutem in mediocritate conſiſtere.
Virtus eſt medium vitiorum, &c. Horat. lib. 1. ep. 18.

*QVemadmodum præſtantiſsimi ſtatuarij operum ſuorum proportionem ad amuſsim examinant, quam ea excedere minimè debent: ita & virtutis artifices debitam ſymmetriam, & proportionem excedere nefas eſt. Vtrimque enim virtutibus imminent vitia, quæ virtutis amantem decipere ſtudent. Verbi gratia, pietas velut caput, fundamentum, & baſis, eſt omnium bonorum: at huic vtrimque inſidiãtur impietas, & ſuperſtitio; illa quidem per defectum, hæc per exceſſum in vitium declinans. Sic fortitudinem circumſtant audacia, et timiditas, idem omnino, quod illa facere volentes. Quapropter virum præſtantem oportet vitijs reiectis, virtutes complecti; nec falſa virtutum ſpecie in vitia quæ vtrimque occultè latent, impingere.*

*Esaiæ.* 189

Ira moderanda ne rationem extinguat.

IRacundiæ te simul & prudentiæ plenum esse familiares tui referunt. Quæ si ita se habeant, frænum iracundiæ inijce, ne rationi præcurrens, etiam prudentiam extinguat. Hinc, & supercilium, quod temporibus capitis, vicinum est, attollere diceris.

*Eidem.* 190

Conf ep. 195 Hortatur vt illi, quem iudicio superarat humaniter se excuset, animumq; eius placet.

CVm aduersarius tuus nuper iudicio victus, seipsum ob ea quæ passus est nondum vicerit, vt medicinam admitteret, tu illum litteris placare ne cesses. Etenim rectè feceris, si malè facta benè cures. Nam & nos fomenta adhibentes benignioribus animum eius verbis persanare contendimus.

*Dorotheo Diacono, medico.* 191

Conf. ep. 192 Respondet quæstioni propositæ. Cur incorporea minus passionibus corruptioniq; obnoxia, quam corpora.

QVod rem claram, & liquidò tum in sacris litteris, tum ab Ethnicorum sapientissimis

*tissimis testatam, per certas demonstrationes tibi à me explicari noluisti; hinc, prout quidem potero, paucis tibi multa exponere conabor. Cùm ergo à me quæsieris vnde constet incorporea magis esse passionum expertia, & potentiora, quam ipsa corpora. Respondeo, quò corpora incorporeitati vicina corporibus crassioribus potentiora, & passionum magis expertia sunt, eò etiam incorporea non solùm crassissimis, magis impatibilia esse. Exempli gratia, saxum crassius est, quàm aqua; hinc cùm confringitur, amplius coalescere nequit: aqua verò inuicem disiuncta, rursus coniuncta vnitur; nam quanto tenuior, tanto impassibilior est, aer autem (nam ad tenuius, & subtilius exemplum descendere nos oportet) minimè separari potest. Etenim si eum quis dolio aut vtri incluserit, & ita in profundum abiecerit, non mergitur, sed aquæ innatat, ac superficiē quærit, & ad cognatum sibi aerem contendit. Quare si aër aqua, & aqua saxo tenuiora sint, ac proinde minùs passibilia; quid miraris, si incorporea potentiora sint? Considera ergò, et animam, quæ quidem oculis nostris non apparet (inuisibilis enim est) robur tamen & vires corpori præstat; qua emigrante, corpus non modò mortuum manet, verùm etiam dissoluitur.*

*Ad hæc, in remedijs medicis (nam & ab arte tua argumentum capiendum est) ipsa eorum vis, cùm incorporea sit, corpore ipso potentior est. Ea igitur vbi iam fecit, quod in se est, & euanuit, tum emplastrum nulli ampliùs vsui est, nisi enim insita eius vis, quæ incorporea est, & suo munere fungitur recesserit; ad quid ergo, materia adhuc integra, remedia innouas? Constat autem, remedium, vi & potentia præsente viuere; illa verò iam digreßa intermori.*

*Lampetio Episcopo.* 192

Malum animum, & peruersum ex signis faciei colligit.

Conf. ep. 156 199. *QVomodo illiteratus, & rudis ille Gothus (sic namque eum appellare liceat) prudentiæ, & doctrinæ tuæ litteris hortatorijs, & vtilitatem vndiquaque spirantibus acceptis affectus fuerit, equidem, pro certo dicere nequeo. Ex signis enim, quæ in vultu eius apparuere, facilè id ipse collegeris; paululum enim subridens, vultu voluptatem ostendit, ita tamen vt ira prædominaretur.*

*Aquilæ, Ammonio, & Orioni.* 193

Malum malo non reddendum, ſed malum patientia ſuperandum iuſtè iudicanti.

*MVlti, ò viri optimi, cum paria vel maiora etiam aduerſarÿs in hac vita ſe relaturos ſperarent, quàm quæ perpeſsi fuerãt. ipſimet grauiora, quàm prius ſuſtinuerant, pertulerunt, non ipſo iuſto proſtrato, ſed in vitã ſequentem glorioſè translato. Proinde, quiete potius, et ſapientia, eos qui mala nobis inferũt, vlciſci oportet. In altera enim vita, iuſtitia id quod iuſtum eſt omninò definiet, quæ & huius vitæ tentationes coronis remunerabitur.*

*Palladio Diacono.* 194

Accuſantium ora obturat, qui vitam in melius mutat.

*SI, quæ de te nobis nuntiantur, vera ſint, perſuaſibilem forſan tibi apologiam contexes; vera tamen non adferes: ſi autem falſa, ſcribe vtique apologiam, quam nos eorum auribus, qui te mordaciter traducunt ac ſugillant inſtillemus. At ſi à luxu qui ad omnia*

 *irra-*

*irrationabilia abripit, abstineas, etiam ante quam Apologiam instituas, eos palinodiam cantaturos existimo.*

*Esaiæ.* 195

Conf. ep,190 Hortatur vt apologia placet eum, quem iniuria affecerat.

*SAtis constat, ò vaferrime, iniquè te agere; ac propterea recta, & legitima te criminis depulsione vti nolle, sed ad exceptionem confugere, quæ ad oppressorum subsidium, non verò ad iniquè agentium effugium excogitata fuit. Cùm ergò deprehensum te sentias, recta defensione vtere.*

*Theoni Episcopo.* 196

Conf. ep.16. 140. 147. 230. 250. Monet vt sibi caueat, ne ipse capiatur ijs, quę in alio reprehendebat errata.

*QVo maiore quàm alij, apud te in honore sum, eò cæteros beneuolentia erga te magis antecellere contendam. Absurdum namque fuerit, me quidem alijs à te præponi, tamen vnà cùm ijs, qui non eo apud te in honore sunt, in rebus tuis conticescere. Itaque cùm ad me scripseris, Eusebium Pelusinum*

*Episcopum animo admodum mobilem, & ad aliena diripienda promptum, & ad irascendũ celerem, & ad debita officij sui exsoluenda tardum esse, vtque paucis complectar omniũ seruilium passionum mancipium, & esse, & haberi; siquidem ipse bene audire velis, ab huiusmodi te probris purum, & immunem custodi. Si quidem absurdum fuerit, ijs ipsis te vitijs obnoxium esse, quorum alium insimulas, & alterius esse medicum te velle, qui ipse vlceribus scateas, atque ea committere, quæ in alio acerbè reprehendis.*

*Isidoro Diacono.* 197

## Quomodo & quare Iudæi, Filij in sacra scriptura appellentur. De adoptione nostra per Christum, & quanto studio conseruanda.

*CVm prudentia tua scripserit, dignitatem adoptionis in filios Dei fuisse etiam penes Iudæos: scriptum quippe esse.* Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *Et alio in loco* Deum, qui te genuit, dereliquisti. *Respondeo planè non videre me, ex ijs quæ attulisti testimonijs, hunc eis honorem absolutum, purumq; tribui. Sed semper cum aliqua repre-*

Isaiæ. 1.2.
Deut. 32.18.

*hensione coniunctum: adeò vt, nisi eos reprehendere voluisset, numquam Dominus illos honorifico isto cognomine quod dicis compellasset; & nisi prolapsi fuissent, nunquam hoc forsan nomen adepti fuissent. Sed quò acerbior reprehensio foret, honorem sugillationi admiscuit. Cùm enim illos perstringere, & duritiam eorum vellet traducere, correptioni honorem simul inuoluit: aut verius ex isthoc honore, crimen maius esse ostendit, quam vt veniam mereretur. Porrò de ijs, qui in lege gratiæ*

Ioann. 1.12. *sunt, clamat ipse tonitrui filius Ioannes.* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Ecce honor, sine vlla sugillatione, ecce dignitas filiationis, ecce supercœleste Senatusconsultum, quod Saluator*

Matth. 5.45. & 6.8. *tor ipse passim pronuncians ait,* vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. & scit Pater vester cœlestis quid opus sit vobis, antequam petatis eum. *Ipse igitur, qui huius filiationis causa est, dignitatem hanc nostram vbique deprædicat. Qui verò ex Iudaico propugnaculo Euangelica factus est machina Paulus, hunc honorem etiam opere ipso comproba-*

Rom. 8. 15. *tum ostendens, ait:* Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba

pater:

pater: ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti. *Pro ingentem honorem! quam is ſublimè ſuſtulit eos, qui humi iacebant! Eadem porrò opera cùm Iudæorum vilitatem tùm Chriſtianorum nobilitatem, Apoſtolus ob oculos ponit: quam nos omni animi contentione cuſtodire æquum fuerit, ne, ſi hac dignitate exciderimus, grauius puniamur, qui ne tanto quidem honore meliores euaſerimus.*

*Harpocræ Sophiſtæ.* 198

Graphica ὑποτύπωσις laudata.

*Sicut præſtans aliquis pictor cum ferocientem, & elata ceruice equum depingit, eum tantùm non ſpirantem exprimere conatur, & cum ipſa decertans natura, vnà cum fræno, prudentiam ei quodammodò inijcit; & eo ipſo, quod eum conſiſtere velit, illum ſiſtit: pari modo tua eruditio per orationem ſuam, viri illius mentem ita ſcitè, & clarè nobis expreſſit vt ipſummet potius, quam litteras ſcriptas, lectores coràm intueantur.*

*Eidem.* 199

Conf. ep. 156 192.

Ex vultu conijcit de animo cuiusdam, cui litteras tradiderat.

*POstquam is, quem nominare nolo, (neque enim scripto aut mentione dignus est) probitatis tuæ litteras accepit, pestiferum quid, & rictu patulo arrisit, vti ridere solet, cùm ira efferuescit. Fortasse verò tremendum, & consecratum mysterium contigisset, nisi ipse Ecclesiasticis sanctionibus degradatus esset.*

*Ophelio Grammatico.* 200

Conf. ep 25. & lib. 3. ep. 66.

Contra nimium mulierum ornatum.

*VEterem Lacedæmonem non possum, non summopere eo nomine admirari, quòd honestis matronis ornatum omnem interdixerit: vtpote, quem meretricibus, laqueos ac pedicas ad dissolutos adolescentes captandos excogitantibus, proprium esse existimabat. Hoc ipsum enim faciendo, licet modesta, & pudica videatur, morbum suum nimis manifestè prodit. Vnde sacra Scriptura mulieres pietatem*

1. Tim. 2. 9.

*sectantes exhortatur, vt* se non auro, vel margaritis, vel vestibus pretiosis, sed bonis operibus

ribus exornent. *Si verò res etiam prout in se ipsa est, sit consideranda; dico, & torques, & gemmarum fulgores, & monilia, tam deformibus, quam insigniter formosis, quàm maximè obesse: illas quippe redarguunt, harum verò auersionem quamdam, & fastidium causantur. Illas quidem redarguunt, dum earum deformitatem magis ostendũt; harum verò auersionem causantur, quòd homines de ipsis loqui abstinentes, de solo illarũ ornatu verba faciũt.*

*Elaphio Episcopo.* 201

Officij sui admonendos esse concionatores, quorum prædicatio in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non in ostensione spiritus, & virtutis. 1. Cor. 2.4.

M*Irum verborum studium, & ardor hoc sæculo hominum mentes insigniter occupauit: verborum, inquam, non quà auditores ad temperantiam complectendam permouere, sed eorum aures dumtaxat oblectare valeant; non spiritualium, sed Sophisticorum; non Apostolicorum, at Demosthenicorum; non Propheticorum, sed contentiosorum, non animam exhilarare valentium, sed aures demulcere solitorum, non denique eorum, quæ dictis operibus*

ribus

*ribus tanquam ſpiritu animata viuant, ſed ob elegantiam ſuam mortuas aures perſonant. Quid igitur faciendum? an tacendum, & nihil omnino dicendum? At periculoſum ideſt. Ergo dicendum potius? Sed dices verba neque fructũ vllum pariunt, nec operibus demonſtrantur: ſed in ſolum, & nudum plauſum deſinunt. Verum eſto, hæc ita ſint, ſatius eſſe opinor, dicentem non audiri, quam non dicentem iis verbis*
Luc. 19. 23. *coargui.* Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum vſuris vtiq; exegiſſem illam? *Qui ergo poteſt, loquatur, vt à ſolis auditoribus Iudex rationem exigat.*

*Olympiodoro.* 202

Hortatur vt Socratis exemplo relictis otioſis, & inanibus contemplationibus, virtuti actiuæ ſe dedat.

V*Alere iuſsis, vir ſapiens, iis qui res ſublimes iactitant, et de arduis diſſerũt, quique verba ſectantur, & præter nuda verba nihil habent, practicæ virtuti teipſum applica, quæ ſuos cultores beatos efficit. Si autẽ veterũ ſententias ſequi ſatius eſſe ducas illum certè, quem ipſi mortalium omnium ſapientiſsimum eſſe prædicarunt, ſententiæ meæ teſtem ac ſponſorem*

*ſorem tibi adferam. Quid ergo Xenophon de hoc ipſo ſcribit?* Nemo, *inquit*, Socratem vmquam impium ac nefandum quid aut deſignantem vidit, aut dicentem audijt. Nec enim de rerum natura ſic diſſerebat, vti complures alij Philoſophi; nimirum conſiderans, quo, qui à ſapientiæ profeſſoribus mundus appellatur, ſe habeat, quibuſque de cauſis neceſſarijs ſingulæ res cœleſtes fiant. Imò eos, qui huiuſmodi curarent, fatuos eſſe demonſtrabat. Ac primùm de ijs hoc conſiderabat, an quod, rati ſe humana iam ſatis intelligere, ad ea tractanda accederent; an relictis rebus humanis, diuinas contemplantes, quæ ſui eſſent officij, ſe facere putarent? Mirabatur quoque illos clariſsimè non perſpicere, homines hæc adinuenire nõ poſſe. Nec enim eos, qui ſibi plurimùm arrogent, quòd de his diſſerere valeant, inter ſe eadem ſentire, ſed ad inſtar furioſorum inuicem diſſentire, & comparatos eſſe. *Hęc itaque Xenophon habet. Ipſe Platò vero, qui omnium aliorum eſt diſertiſsimus, & præ cæteris Socratem perſpectum habuit, eadem quæ Xenophon, in omnibus penè Dialogis ſuis tradidit. Quare ſi, & hic, & maximè illi idipſum fecerint, & dixerint, & ſcripſerint, tu virtutem*

*exerce*

*exerce, quæ in actione consistit: illa namque (vt etiam Plato censuit) optima est via, & ad pietatem hominem perducens, & in amplissimam latitudinem desinens.*

*Casiano.* 203

Quid differant ἄβουλος καὶ ἀβούλητος.

N*On est idẽ ἄβουλον et ἀβούλητον. Illud enim minimè circumspectum; hoc verò, inuoluntarium significat: illud ad actionem, hoc ad passionem spectat: illud enim, inconsiderata est actio; hoc verò coacta passio.*

*Ausonio.* 204

Iudicium quomodo rectè administretur.

O*Mnis controuersia, iudicio dirimatur; iudicium verò argumenta, & accusationes examinet; examen, quod rectum est, definiat; definitio verò & sententia scripto committatur; scriptum auctoritate aliqua confirmetur, id confirmatum denique opere ipso comprobetur. Omnis porrò hic concertatio absit, amicitia verò locum obtineat, cui nihil æquale & par tum ad virtutem, & bonum nomen comparandum, tum etiam ad hilaritatem mentis consequendam reperitur.*

*Phile-*

*Philetrio.* 205

## Amicitiæ vis.

ERgo, cùm aut à φιλίᾳ (id est amicitia) vel à τετρῶσθαι ὑπὸ φιλίας (idest ab amicitia vulnerari) nomen sortitus es, non potuisti non etiam alios ad amandum pellicere. Etenim, & nos, longè à te dissitos, & nunquam te litteris compellantes, ad te amandum velut æstro quodam compulisti, & sic amore tui vulnerasti, vt ne momento quidem temporis tui possimus obliuisci.

Conf. ep. 143

*Didymo Scholastico.* 206

## Hortatur vt inter Filios suos concordiam & amorem reconsiliet.

FIliorum tuorum natu maximum à minimo dissidere, nonnulli referunt, atque hoc te nosse, ita tamen te gerere, quasi nescires. Quamobrem, voluntaria hac ignorantia confestim deposita, illos mutuo conciliare contende, ne insanabile quoddam hinc malum oriatur: si quidem contentio nihil boni parit. Vt quemadmodum post Diuinam prouidentiam, vt essent causa fuisti, ita etiam sis, vt benè sint.

*Eidem.*

*Eidem.* 207

Vis amoris mutui.

QVemadmodum odium efficit vt hoſtium conuitia, benè aliquomodo acceptentur, ita amicitia illa diſpellit, & configit.

*Orioni.* 208

Gratulatur ad bonam reuerſo frugem.

INcredibile ſum gaudio perfuſ[illegible] cùm ad meliora te tranſiſſe didici, & [illegible] fore, vt quam ex iniquitate prius con[illegible]ſti infamiam, quàm celerrimè deleas; virtutis verò ornamentum aſſumas, et venerandum tibi decus compares, hic quidem ab omnibus laudatus, & celebratus, illic verò à Iudice coronam accipiens.

*Petro Scholaſtico.* 209

Non temere de alio iudicandum.

EQuidem nec cõdemnabo, nec reum declarabo virum, cuius neque auditor, neque iudex fui: at ſi eum ab alio iudicatum fuiſſe conſtet, tunc demum contra illum ſententia feretur.

*Zoſimo*

Zosimo Presbytero. 210

Quantum scelus pauperum interuertere eleemosynas, & per luxum eas abligurire. Conf. ep.183

*SI nec aliquo modo opitulari velis, atque ipsas pauperum plagas adhuc adaugeas, cur ijs, qui cum indomabili, & inexpugnabili hac paupertatis fera luctantur; grauius certamen moues, dum quæ ab omnibus misericordibus in eorum alimoniam dantur in vsus tuos conuertis? quid ex huiusmodi lucro inexplebilem ventrem tuum explens, hinc acquirere te posse existimas? Quamobrem vide, vt ab huiusmodi vesania aliquantulum te submoueas, ac sic teipsum compella. Quòd si, qui proprias facultates indigentibus non distribuit, in ignis fluuium conijcitur, intolerabilibus excruciandus tormentis; quid non patietur qui quæ pauperum sunt, sibi vt propria vendicat? Si qui sua non elargitur, veniam non merebitur, quid ei, qui data ab alijs sibi diripit, fiet? Siquidem paupertate coactus, nouum hoc latrocinij genus, aut scelus potius sepulchrorum violatione grauius excogitasses, aliquod sanè vestigium impudentissimæ excusationis*

 *haberes;*

*haberes; sed cum luxu, & lasciuia qui alienam calamitatem subleuare debebas, easdẽ exasperes, ecqua tibi excusatio, quæ misericordia, quæ venia reliqua est? Hæc tibi scribo, lachrymis ferè atramentum permiscens. Tandem aliquãdo teipsum agnoscas, à pauperibus opprimendis abstineas, Iudicem tibi propitium reddas, & nos tua pœnitentia incredibili gaudio compleas.*

*Theodosio Presbytero.* 211

Virum Religiosum peregrinantem commendat vt hospitio excipiatur.

V*Ir hic diuinissimæ religioni, addictus quàm qui maximè, & in eidem studio deditos incidere gaudens, ad te proficiscitur. Bonum ergo illi te hospitem præbe, vt & te, & alia virtutis exempla conspicatus, desiderium suum adimpleat.*

*Ausonio Correctori.* 212

Rustici causam commendat, quem rabula quidam rure ad forum extraxerat.

C*Vm forensis quidam rabula viro procul negotijs agere cõsueto negotium facessere cupiens,*

*cupiens, ipsum in ius vocarit, da operam quęso, vt quàm citissimè illum iniuria prohibeas: facies enim illi rem gratissimam, hunc verò ad agrum suum remittas, quò dilectæ sibi agriculturæ iucundissimos fructus percipiat.*

*Zosimo Presbytero.* 213

Exemplis potiùs quam verbis persuadendũ. *Conf. epist. 233. 508.*

N*On verborum elegantia auditores, carissime, demulcendi, sed opere, & re ipsa spectatores sunt expugnãdi: etenim mores suadentis venerabiles sunt, non oratio. Illi quippe pudorem incutiunt, hæc verò obtundit. Quid porrò his dicere intendam missis ambagibus dicam. Vir quidam virtute spectabilis summopere tibi succenset, & cùm multa de te commemoraret, vnum hoc miratur quomodò, cùm Ecclesiæ probrum, & propudium sis, immaculatam vitam in orationibus petere à Deo præsumas. Nam, inquit, si ea quæ suarum partiũ sunt adferat, petat vtique; si verò, & alios turpissimis suis factis inficere velit, cur id accipere postulat, quod habere nolit? Atqui ego, his auditis, rubore suffundebar, & oculis in terrã coniectis, ne os quidem aperire poteram. Qui verò præsentes aderant, summis illũ plausibus*

*excipiebant; hoc vnum dumtaxat in illo reprehendentes, quòd inscitiam tuam, prout quidem ea merebatur traducere verbis non potuerit. Tu itaque vide quomodo hanc irrisionem, & fabulam à te amoliaris.*

*Paulo Presbytero.* 214

Conf. ep. 119 253. Non de leuibus futilibusque rebus conciones habendæ.

N*On de rebus exilibus, & malis, sed de ijs, quæ dictu dignæ sunt apud auditores tuos sermonem institue. Multi namque rati te nugari, celeriter recedunt, & facilè te carpunt, & ægrè persuadentur.*

*Danieli Presbytero.* 215

Conf. ep. 103 116. Ne malorum fœlicitate in hoc sæculo offendatur, sed hinc certitudinem iudicij extremi credat.

N*Equaquam te, ò beate, à cœpto virtutis tramite auertat, quòd impurus ille, Deoque odibilis (vt scribis) Zosimus sacris se ordinibus ingerere ausus sit, imò verò hoc ipsum*

*potius*

*potius confirmare te debet, vt credas indubiè fore aliquando iudicium, in quo vnicuique secundum opera sua Iudex reddet. Si enim conuenientem quisque hoc in mundo mercedem acciperet; hi quidem pœnas, illi verò præmia, vana de iudicio extremo oratio foret. Cùm enim multi impij fœliciter agant, è contrà multi pij aduersis exagitentur; illud ipsum quod perturbationem tollere debet (quòd nimirum vnicuique iuxta meritum merces aliquando persoluetur) tumultus & turbationis est causa. Neque enim, cùm iustus sit Deus, hæc fieri pateretur, nisi aliquando verborum, et operum, & cogitationum exacturus esset rationem, & his quidem gloriam, illis autem supplicia decreturus.*

## *Strategio Monacho.* 216

Promittit se visurum amicos in monasterio. Conf. epist. 494.

*BReui me (Deo volente scilicet) in monasterio exspecta. Veniam enim, vt tuam, ante omnium, pietatem, & religionem inspiciam, necnon vt admirabilem per omnia Theodosium, veterem nostrum amicum, nobisque longè preciosissimum, complectar.*

*Harpocræ Sophistæ.* 217

Conf. ep. 165 De varijs Rhetorum dicendi generibus.

*SCriptorum alij, turpe ducunt, obscurè loqui; alij, vice versa, in ipsa obscuritate omnem virtutem collocant: alij mediocritatem sectantur, alij verò intempestiui sunt, alij accuratas aures postulant, alijs satis est adolescẽtes permouere: alij exordijs excellunt, alij exẽplis abundant: alij miserationem, iram alij in auditoribus concitant: alij tarditate sua molesti sunt, alij celeritate placent: alij vno, eodemq; dicendi genere vtentes, auditores suos obdormiscere faciunt, alij varietate eosdem excitant. Itaque qui aliorum scripta examinare nouit, ab omni gratia, & odio alienum esse oportet, & scriptoris vniuscuiusque tum vitia, tum virtutes percalleat, vt has quidem probet, illa verò reprehendat.*

*Aphthonio.* 218

Conf. epist. 253. Virginitas, & Fornicatio duo extrema. Coniugium medium, inferius virginitate, sed melius fornicatione.

*VIrginitas, bone vir, & fornicatio, legis limitem transiliunt, sed non in ijsdem.*

*Illa*

*Illa namque ſupergreditur, hæc tranſgreditur. Illa leuia, ſurſum tendentia, & cœlos impellentia, hæc verò deorſum vergentia, & grauia corpora imitatur. Illa ſectatur ea, quæ nulli ſunt mutationi obnoxia, hæc autem illa, quibus, & mutatio inſita eſt, & pœna adiuncta. Honorabile verò coniugium inter vtramque medium, priore quidem longè inferius eſt, poſteriore verò tantò ſuperius, & exellentius, quanto ipſum virginitati cedit. Vnde, cùm hæc gloriæ coronam mereatur, illa verò condemnetur: matrimonium mediam laudem obtinet.*

*Theodoro Diacono.* 219

Cum ſuas partes egerit in Zoſimo, ſodalibusque eius admonendis iniquum eſſe probat ſibi imputari, quod admonitionibus locus non fuerit relictus. *Conf. ep. 20. 210.*

*SI quidem dixiſſem me ea oratione pollere, quæ omne tolleret vitium, meritò me quis iactantiæ accuſaret, at, ſi ante omnia norim monentis partes eſſe quam optima dicendo adferre; eius verò qui monetur dictis parere (nã penes illum dicendi, penes hunc agendi poteſtas eſt) quid ignoſcere mihi recuſas, ſi qui-*

*dem assentiri nolis; aut quid culpas eum, qui suo munere rectè functus est? Si nequidem hoc admittas, etiam ineffabilem Dei sapientiam accusabis, quæ nec præuaricatoribus Iudæis, neque proditori Iudæ persuadere potuit. Tantum enim abfuit vt persuaderet, vt hic eum prodiderit, illi in crucem egerint. Si verò illa etiamsi non persuasit, nec ad salutem retraxit, nihilominus ab omnibus prædicatur (ab intentione namque non ab euentu, res iudicantur) quid me incusas, qui tantum laboris impendens, non tamen potuerim, Martinianum, Zosimum, Maronem, & Eustathium verbis inducere, vt à peccatis abstineant? Tantum quippe abest, vt propterea rubore suffundar (quamquam me plus, quam alium quempiam, erubescere sciam in ijs, in quibus erubescere honestum est) vt etiam* glorier, quod passionum Domini, *licet tantum ex parte,* socius, & particeps reddar.

*Eutonio Diacono.* 220

*Conf. ep. 219* De Zosimi eiusque sodalium vitijs.

SI *Zosimus, & Maro, vt ais, nihil lasciuum infectum, nihil turpe indictum relinquentes, in optimum quemque adhuc insurgant,*

*surgant, ea & dicentes, & perpetrantes, quæ nec verbis dicenda, nec facto toleranda sunt, noli quæso diuinæ iustitiæ incuriam accusare; sed illius longanimitatem potiùs admirare, nunc quidem eos ad pœnitentiam inuitantem, et omnem excusationis ansam præscindentem; post paulò verò, vel hoc in sæculo, vel in altero, grauissimo in eos supplicio animaduersuram. Nam si illi qui ante diluuium nefanda flagitia commisere, vel qui in Sodomis præter naturam peccarunt, vel denique Iudæi, qui aduersus Dominum rabiem suam exercuerunt impune habuere, & hi impune abibunt.* Gen. 6. Gen. 19 1. Cor. 10. 12.
*At si primi quidem illorum, hac in vita aquis adobruti periere, secundi deflagrationis incendio, postremi demum bello absumpti sunt, vt omnes, tam priores; quam secuturas tragicas clades magnitudine sua obscurarint, in altera verò grauissimas dabunt pœnas: quam ob causam hosce considerare negligis, ac si impune abiissent? Porrò illos, & in altero sæculo grauiter luituros, constat ex iis, quæ ipsamet Veritas pronunciauit.* Tolerabilius, *inquit*, erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati, *quæ scilicet ipsos veritatis præcones persecuta est. Hoc autem dixit, quod hi* Matth. 10. 15. & cap. 11. 24. Luc. 10 12. & 17. 29.

*grauio-*

*grauiores daturi essent pœnas, mitiores verò Sodomitæ; non solùm propterea quod eas hic etiam dederint, verùm etiam quia cum hi cõtra naturam ipsam peccarint, contra ipsum naturæ Dominum furorem, & rabiem suam ostenderunt.*

## *Eidem.* 221

*Conf. lib. 3. epist. 203.*

### De pœna huius, & alterius vitæ.

*NOris, bone vir, si leuia, tolerabilia, & facilè curabilia peccata committimus, eadem nos, aliquid aduersi patiendo, eluere, & detergere: at si grauia, & horrenda crimina consciscimus, in altero nos mundo supplicium daturos; leuius quidem, si hac in vita aduersi quid patiamur; grauius autem, si sine vlla aduersitate vita excedamus. Ne porrò dicas, id asserere quidem me, at non demonstrare; testimonijs fide dignis id, quod dico confirmabo. Itaque de ijs, qui peccata hac in vita voluntaria castigatione eluunt, testis omni maior exceptione est diuinus ille Paulus, agens de ijs qui indignè sacra mysteria susceperunt.* Ideò, *inquit,* inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: quod si nosipsos diiudicaremus, nõ vtique iudicaremur: dum iudicamur

1. Cor. 11. 30.

autem à Domino corripimur, vt nõ cum hoc mundo damnemur. *Huc quoque pertinet, quod diuiti Epuloni in infernali sartagine excocto dictum est*: Fili recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala. *Perinde ac si diceret, si quid boni viuens præstitisti, hoc ipsum tunc recepisti, delicatè viuendo, nullamque in vita aliquando rerum vicissitudinem, aut aduersitatem passus. Si quid verò Lazarus deliquit, hoc inconsolabili sua paupertate, qua consumptus, & exhaustus interijt, expiauit. De ijs autem, qui, & hoc in sęculo pœnas dederunt, in altero quoque dabunt, ipsemet Iudex sic in Euangelijs pronũtiauit.* Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum, quàm ciuitati illi. *Etenim, & hoc in mundo Sodomitę ac Iudæi pœnas soluerunt, illi quidem igne cœlesti deflagrantes, hi verò bello, & fami traditi, & ad tantas angustias redacti, vt & proprios comederint filios: nihil enim non necessitas eos manducare, & vorare compulit.*

Luc. 16. 25.

Matth. 10. 15.

Ioseph lib. 7. belli. c. 8 & lib. 9. antiqui. c. 2

*Eidem.* 222

De eadem re: in mercedis distributione.

Conf. ep. 78. 302.

*QVod nuper de peccatis dixi, idem nunc de benefactis, & operibus bonis dicam, nimirum*

*mirum illum qui pauca bona opera fecit, si quid hac in vita boni consequatur, suo postea præmio cariturum; & qui magna, eximia, & admiranda fecit, in illa vita mercedem accepturum; mediocrem quidem, si quam in hac acceperit (Etenim in hac vita mercedem accipere, non modicam mercedis partem circumcidit) copiosam verò si nullam hic accepit. Et si quidem volueris, exemplo id quod dixi, declarabo. Sint, verbi gratia, duo iusti, virtute ambo præstantes, & summi; sed horum alter, hoc in mundo opibus abundet, alter inopia prematur: ille sit in gloria, hic iniuriæ obnoxius: ille ab omnibus dilaudetur, ac celebretur, hic omnium sit fabula, & probrum. Putasne verò, cum hinc excesserint, æqualem ambos coronam accepturos? Non equidem existimo; quamquam ratione virtutis pares eos esse censeam. Verùm quòd dum in mundo viuerent, disparis sortis fuerint, hinc & virtutis eorum æqualitas postea inæqualis fiet: non quòd sincerus, & integer ille Iudex iniquum quid sit decreturus; sed quòd vni quidem, mercedem huius, & alterius vitæ æquaturus, proportione sit temperaturus, alteri verò liquidum, purumque gaudium confirmaturus. Par namque*

*est,*

*est, eum qui tanta bona opera fecit, nec tamen aliquem illorum fructum percepit, maiori, & illustriori ornari corona. Idipsum porrò, beate vir, non in ipsis rectè factis solùm, sed & in peccatis locum habet. Statuantur namque si ita tibi videatur, duo peccatores, qui ad idem improbitatis fastigium pertigerint, ita vt alter ab altero nihil differat: horum vnus quidem opibus circumfluat, alter verò cum inopia conflictetur, vnus ab omnibus honoretur, alter iniurijs diuexetur. Vnus alijs imperet & præsit, alter aduersitates habeat. Numquid vita functi pari modo plectentur? Non equidẽ opinor; tametsi quoad nequitiam, & improbitatem pares eos fuisse dixerim. Nam quòd in vitæ huius statu dispares fuerint, hinc ipsa nequitiæ æqualitas resurrectionis tempore inæqualis reddetur: non quòd iustitia, quod iustum est, sit neglectura; sed quòd huic quidem supplicio huius vitæ pœnas sit alterius commensura, illi verò omni solatio prorsus carentem castigationem in altera irrogatura. Aequum namque est, eum, qui eadem patrauit, non verò eadem est perpessus, maiores pœnas persoluere.*

*Harpocræ Sophistæ.* 223

Virtutem potius cum aduersitatibus, quam vitia cum iucunditate colendam.

*PRobè noui apud alios quidem fidem dicendorum, me non inuenturum, aliјs verò hyperbolicè locutum visum iri: verumtamen nosti morem meum; nam aliud fortasse non dixi (scio namque plerosque ex suo ingenio, de aliјs iudicium ferre) quam me benè agentem hoc in mundo detrimēta, & aduersa pati malle, quàm malè, & improbè agentem coronari. Nam vt de corona, quæ virtutem in altera vita manet, vti & supplicio, quod iniquitati preparatum est, nihil dicam; certè ipsamet virtus corona, & nequitia quoddam mihi videtur esse supplicium. Nec vellem profectò etiāsi quidam virtutem calumniarentur, nequitiam verò, & vitium laudibus extollerent, illam repudiare, hanc verò amplecti; sed illam, quamuis contumeliosè habitam, ambabus vlnis complector, & diligo; hanc verò, licet laudatam, detestor, & execror.*

Hypatio

*Hypatio Rempubl. gerenti.* 224

Auaritiam fugiendam.

Conf. ep. 55. 67. 142

*CVm arduum, id est, difficilè sit, eum qui opum amore captus est, mentem sursum attollere (etenim qui huiusmodi est, ægrè, ne dicam prorsus non, emendari potest) nihil non faciendum est, ne ab hoc quis malo corripiatur. Etenim facilius est, planè ab eo non capi, quam semel captum ab eo se expedire.*

*Palladio Diacono.* 225

Qui bene paruerit, is rectè imperabit.

Conf. epist. 455.

*SI subditos legibus quibus reguntur inobedientes esse non oportet, multò certè magis ijs pareant necesse est illi, quibus imperium obtingit. Quomodò enim cum subditis agent, vel iustum ab iniusto discernent, qui neque quomodò imperare oporteat, norunt? Quicumque igitur hæc ignorant, & benè regere suos non didicerunt (quod certè non exigui est momenti) alios tamen regere volunt, idem ipsis vsuuenit, quod aurigandi imperitis, qui currus, & bigas conscendere ausi, & se, & equos suos in interitum coniecerunt: vel, quod nauiculatoriæ*

*inassue-*

*inaſſuetis, & expertibus, qui cùm eò dementiæ ſemel proſilierunt, vt onerariam, & ingentem nauim moderari tentent, vnà cum ipſa in maris profundum abrepti ſunt. Quiſquis ergo ſalutem ſuam cordi habet, ſubditorum ſe in numero primò conſtituat; ſi verò hic eum abſurda quædam dominandi cupido occupet, eam à ſe quam poteſt longiſſimè reïjciat, vel per hoc, quòd bene ſubeſſe ipſe alijs poſſit, præeſſe & imperare alijs diſcat: adhæc huic ſe negotio vltro non ingerat; ſi verò ad illud vocatus fuerit, ſe, ſi quidem fieri poteſt excuſet. Id namque ſatius eſt. Sin minus imperet, ita tamen, vt ipſe legibus pareat.*

*Vranio Diacono.* 226

Matth. 26.41. Conf. ep. 39. 68. De bono tentationum: & in illud Chriſti. Orate vt non intretis in tentationem.

*QVid ad multos confugis, cùm poſſis ad vnum? Quid pluribus aſſentaris, cum vnum rogare queas? Cur imbecilliores in auxilium vocas, cùm ad inſuperabilem Dei confugere dexteram, & ſic ab omni te expedire tentatione oporteat? Etenim tẽtatio eſt, non (vt quidem ipſe exiſtimas) in tentationem incidere, ſed ab eadem ſuperari. Porrò, hoc*

ipſum

*ipsum verè ita se habere, quamuis plerisq; incredibile videatur, pauculis è sacra scriptura depromptis testimonijs, declarare conabor. Nã illud Apostoli Pauli dictum.* Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit; *cùm nonnulli velint, solos pro virtute susceptos labores hic intelligi omittẽs, ad aliud testimoniũ transibo. Ait fortissimus ille Iob.** Tentatio est vita hominis super terram. *Quare, si ipsa vita tentatio est, quo fieri modo queat, vt qui in ipsa tentatione identidẽ agit ac versatur, in tentationem non incidat? Cæterùm quod ab ipsa veritate dictum est.* Orate, vt non intretis in tentationem; *idem est, ac orate, ne à tẽtatione superemini: neque enim dixit, vt non incidatis; sed,* vt non intretis, *id est, ne ab ipsa absorbeamini. Fieri namque prorsus non potest, vt in illam nõ incidamus; at fieri potest, vt qui in illã incidit, victoriam referat, & coronetur. Etsi quidẽ velis, perbreui id exemplo, & similitudine probabo. Potest enim fieri, vt quis in leonem incidens, suo vel robore, vel industria, ab eo se liberet. Quid dico liberet? cùm nonnulli id genus feras etiam manu ceperint. At quo modo ille effugiet, & sospes euadet, qui à fera iã deuoratus, & in ventrẽ eius demissus est? Hoc ergo est, quod Christus ait: impossibile nimirum*

2. Tim. 2.5.

*Vulgò militia Iob 7.1

Matth. 26.41. Marc. 14.38. Luc. 12 40. & 46

*esse, in tentationem non incidere, possibile verò eam euincere. Vtriusque horum omnes sancti fideiussores & testes sunt, quos tales tentationum procellæ impetiere, vt toto propè vitæ tẽpore in certamine, & conflictu egerint. Dicat verò quispiam. Nullus ergo ipsorum à Deo est exauditus? Exauditi quidẽ sunt, non tamen in eo, vt in tentationẽ minimè inciderent (hoc nãque fieri omnino non potest) sed vt, cùm iam in eam incidissent, non modò illæsi, sed & cum coronis de stadio discederent. Itaque quæramus, non tam in tentationes non incidere, quàm cùm inciderimus, clariores ex ijs euadere.*

*Theoni Episcopo.* 227

Læsi nostras iniurias vindicamus, Dei verò negligimus.

*SCito, vir optime, etiam in hoc nos peccare, quòd ea, quæ aduersum nos committũtur, acriter vindicemus; quæ verò in Deum, negligamus. Nam cùm ipsi iniuria afficimur, vtilissima est mansuetudo, vbi autem diuinæ Maiestati ea infertur, quantum quidem proteruorum mortalium partem spectat (neque enim vlla ad puram illam & sinceram naturam noxa peruenit) ira magis decet, quàm mansuetudo. Nos verò contrà facimus: nostris enim inimicis ignoscere nolumus, ijs autem qui aduersus*

*uersus Deum linguam stringunt, lenes nos, & benignos exhibemus. Mitissimus ille Moyses, olim contra vituli conflatores seuerum, & immitem se præbuit, quæ illius indignatio omni fuit mansuetudine potior: vti, & Elias contra idolorum cultores, Ioannes in Herodem, Paulus in Elymam, non suam ipsorum iniuriam vindicantes, sed Dei (qui sibi quidem in seipso sufficiens, nihilominus bonorum virorum erga peccata odium probat) suas ipsorum iniurias negligebant. Hanc namque existimabant virtutem, & veram Philosophiam esse.*

Exod. 32.
4. Reg. 1.
Matth. 14.
Act. 13.

*Ausonio Correctori.* 228

Ad iustitiam vt iudicem inuitat.

S*Trenuitatem tuam legum robore armatã, cogere oportet, vt ab inferendis iniurijs abstineant, qui inde ditescere gestiunt, vnde minimè oportet aduersus imbecilliores dexteram armantes.*

*Iacobo Lectori.* 229

Virtus etsi laboriosa, ipsa tamen sibi merces.

Q*Vamuis virtus in se laboriosa sit, tamen ipsum illius exercitium (quod merces*

*magna comitari solet) nouum quoddam præmium esse videtur. Et diuinæ liberalitatis magnificentiam maximopere admiror, quòd coronam coronæ largiatur, dum sinceram virtutem regno cœlorum condecorat.*

*Eidem.* 230

Conf. ep. 16. 140. 147. 196. 249. 250.

Malorum felicitate bonos offendi non decet.

*NE inclamites diuinam patientiam ob Eusebij, eiusque asseclarum prosperitatē, qui in virtutem iniurij, & improbitatem decoram existimantes, in hac etiam gloriantur. Sed potius illam admirare, quod ex superemineute quadam bonitate, eos ad pœnitentiam vocet; Deumque precare, vt ad sanam mētem redeant, vt hac ratione, tu à scandolo, illi à supplicio, religio à probro liberetur. Id si non fiat, ad extremum vsque in sceleribus illi suis debacchabuntur, insania ac rabie perciti, & per quæ in altera vita patientur, discent, melius fuisse bene ac moderatè viuere.*

*Zosimo Presbytero.* 231

Monet vt senes omnes tandem resipiscant, ob imminentem iam vitæ terminum.

*ETiamsi adolescentes nesciāt vitæ suæ terminum, senes tamen sciunt eum iam propè es-*

*pè esse: illi enim, licet neminem mors vereatur (etenim in omnem ætatem, & dignitatē grassatur) sperant tamen se ad senectutem peruenturos; hi verò nihil aliud quàm vt terra fiant, secundum corpus, inquam, expectāt γῆρας enim (idest senectus) dicitur* ἀπὸ τῆς γῆς ἐρᾶν (quòd terram diligant.) *Hinc etiam senes; aliquo modo incuruo sunt corpore, & arcuati incedūt, hoc ipso se in terram tendere asserentes. Quare, si hæc ita se habeant, cùr in senectutis limine constitutus sceleratis operibus iuuenescis?*

*Theodoro Scholastico.* 232

De vindicanda moderatè iniuria.

*INiuria affectum vltionem nullam sumere diuinum arbitror, moderatam verò sumere licitum, & humanum; immoderatam autem, legibus repugnans, nefandum, aut potius diabolicum. Multos enim, quibus persuadere non potuisset, vt primi iniquas manus alijs inferrent, eò quod peccatum nimis esset euidens, plus æquo & immoderatè vindicando in idem delictum cum primis iniuriæ auctoribus induxit. Qui enim in puniendo criminum modum excedit, & grauiores*

*æquo à delinquentibus pœnas exigit; hic quamuis iustè fecisse videatur, in illius, qui prior iniuriam cœpit ( tametsi quod dico, fidem excedere videatur ) culpam & delictum incidit. Secundus enim de nouo peccare incipit.*

*Theopempto Presbytero.* 233

Conf. epist. 213.

Opus quam oratio magis mouet.

*SI quando sermo operibus destituitur, non modò nihil prodest, sed & auditori, molestiam creare solet; at cùm opera sermone cassa sunt spectatoribus intuendo modestiam persuadent. Verùm, cùm ambo concurrunt, ita sermones vt actione exornentur, magnam tunc auditoribus, si modo æqui ac beneuoli fuerint vtilitatem adferent.*

*Alypio.* 234

Horat. Sat. 3. lib. 1. versic. Cũ tua peruideas.

In alienis erratis lyncei sumus animaduertendis, in nostris talpæ; contrà in virtutibus.

*SVmmopere miror cur in aliena delicta, & crimina acerbi sedeamus iudices, propria verò peccata, quæ sæpe grauiora sunt, quam vt veniam promereantur conniuendo negligamus;*

*mus; in noſtris, inquam, ipſorum cæcutiamus, in proximorum verò acutùm videamus. In rectè factis verò contrarium facimus: propria namque licet parua, et exilia ſint, nobis videntur regrandia; proximorum autem quantumuis magna & admiranda, minimè curamus. Nam proprius noſtri ipſorum amor, rectum rerum iudicium corrumpit, & iiſdem nos oculis & noſtra et aliorum facta videre non ſinit.*

*Hieraci Diacono.* 235

Cauendum ne ſpecie vtilitatis decipiaris.

*FOrſitan ipſe te decipis, dum quod vtile tibi ſit, videre verè te putas: equidem dixerim videris quidem videre, ſed nequaquã vides, ſed quàm maximè in hoc ipſo cæcutis. At ſi id quod clarum eſt anceps tibi eſſe videtur, neque mihi, neque tibi, rei huius iudicium committas; ſed illa cum prudentioribus communicata iſtorum iudicio acquieſce.*

*Iacobo Lectori.* 236

Malorum contagium, & conſuetudo vitãda.

*IMprobos, quaſi qui peſtilentem quemdam habitum conſuetudine ſua animæ latenter*

*afflant, fuge, cariſſime mi. Multi namque decipientes ſemetipſos, quaſi & optimi, & fortiſſimi ſint, & ab huiuſmodi familiaritatibus nihil ipſis mali poſſit accidere, ſenſim ac paulatim in eaſdem, quas illi, improbitatis voragines neſcientes abrepti ſunt. Nam conſuetudo multùm pollet, & in naturam facilè abijt? Illam enim quidam alteram naturam dixerunt, alij verò, naturam etiam ab illa ſuperari: iuxta illud.*

Excauat aſſiduè ſaxum leuis vnda cadendo.

*Et verò, quid ſaxo durius, quid aqua mollius? aſſiduo tamen lapſu hæc naturam exſuperat.*

*Hieraci Diacono.* 237

## Temperantia ſanitatis mater.

*SI quidem corporeæ valetudinis rationem habes, frugalitatem cole; hæc enim illam parit. At ſi delicatis epulis, & luxu inflare ac diſtendere corpus tuum velis, non modò inſcius ipſum contra animam armabis, & refractarium reddes, ſed & efficies, vt inſanabilium morborum radix, & fons tibi fiat.*

Theo-

*Theodoro Scholastico.* 238

Explicat verſum prouerbialem de calumnia.

NOli putare; illud vtcumque vixeris calumniam feres, *non ideo ( vti ſcribis ) dictum eſſe, vt quis à virtute ſectanda auocetur. Dictũ enim eſt, non tam, vt qui id audiũt; malitiæ ſe applicent (vti ipſe aiebas) quàm vt ſe ad Philoſophicum vitæ genus conferant: neque enim, quod benè viuentem omnino conuitijs obnoxium eſſe oporteat, voluptati is indulgere debet; ſed, eo quòd optimos quoſque ab improbis hominibus ſugillari certò contingit, ſapientiæ ſtudijs animum muniat. Ideo enim id dictum eſt, non vt propterea virtutem quis fugiat, ſed vt eius ſectatores, malè habeantur, philoſophentur: illorum enim aduerſaria, inuidia ſæpè facit, vt maledictis explodantur. Præſtat igitur, ſi omninò calumnijs impeti oportet, iniuſtè id pati, iure namque merito improbi ijs impetuntur.*

*Petro.* 239

Hæreſes aut ex ambitione, aut ex pertinacia naſcuntur.

H*Aereſes vel ex ambitione, vel ex peruicacia (quę duę paſſiones sũt expugnatu quã*

*maximè*

*maximè difficiles ) natas existimo. Nam qui parere aliis detrectarunt, quique præ concepta aliqua opinione doceri noluere, nouæ doctrinæ iecerunt semina, dum rectè constitutis inhærere recusarunt.*

*Nilo Scholastico.* 240

Virtutem doctrinæ iungendam.

V*Irtutum chorus cæcus est, cum recti dogmatis ductu caret; sed, & præcedens recta doctrina otiosa est, si virtutum chorus non subsequatur. At si illa quidem agmen ducat, hæc verò ordine subsequatur; chorus, tamquam legitimè ad certamen dispositus, non poterit non coronari.*

*Eidem.* 241

Deum non adulterium tantum, sed fornicationem, & omne impuritatis genus vetuisse.

E*Tsi ipse carpas, ego tamen legislatoris nostri sapientiam etiam in hoc summopere miror, quod lasciuias, & libidines quam fieri potest maximè eliminare, & intemperantes homi-*

*hominum mentes refrænare voluerit. Qui enim inuoluntaria pollutione hominem inquinari pronunciauit, voluntarium actum multò magis prohibuit. Dum enim inuoluntarium seminis fluxum, qui neque peccatum est, neque vlli pœnæ obnoxius, pollutionem esse pronuntiauit, ac proinde expiatione opus habere; spontaneum certè delictum multò magis inhibuit. Quòd autem solum adulterium à Deo vetitum fuisse existimes, videris mihi profectò Deuteronomium, aut non legisse, aut non intellexiße, tametsi verba vsque adeò clara sint.* Non erit, *inquit*, meretrix de filiabus Israel, aut scortator de Filijs Israel. *Licet enim multò grauius sit flagitium adulterium, quàm fornicatio, & maius quàm vt veniam promereatur, hæc ipsa tamen pœnas quoque meretur; tametsi Gentiles Legislatores, nescio qua de causa eas præscribere neglexerint. Nam rectè viuentes etiam ab hac mundos sese conseruare oportet.* Fornicatio *enim, inquit Apostolus*, & omnis immunditia, ne nominetur quidem in vobis, sicut decet Sanctos. *De castitate cõtra ait, eam maximorum bonorum parariam, & conciliatricem eße.* Pacem, *inquit*, sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Deut. 23.17.

Ephes. 5.3.

Hebr. 12.14.

*Eutonio*

*Eutonio Diacono.* 242

Cogitare mala, nedum facere nefas.

*QVæ nefas est facere, de iis faciendis nec animo cogites. Si qui verò te ita comparatum, & non modò quod reuera turpe est, verùm etiam quod absurdum esse animo videtur, fugientem, rabie quadam acti allatrent, & suæ ipsorum inuidiæ obtrectando velificentur, noli propterea animo deiici aut contristari. Solet namque vulgus, quod nihil turpe indictum, nihilque indecorum infectum relinquit, sua opera hac ratione obtegere.*

*Eidem.* 243

Socordiæ etiam facillima difficilia sunt, virtuti contrà nihil arduum.

*QVi supinè ignaui sunt etiam in rebus facilioribus difficiles se præbent: generosi autem, & fortes, ne asperrima quidem perhorrescunt: imò verò hæc ipsa quàm maximè aggrediuntur; sperant namque horum, & victoriam illustriorem, digniorem que ac gloriam maiorem futuram.*

Paulo.

*Paulo.* 244

Vita hæc fabula & vmbra, futura autem æterna est. Conf. ep.107

*HAec vita nostra, vir optime, à scena nihil differt vtpote quæ nihil firmum, permanens, stabile, & fixum in se contineat. Dicit quippe comicus,* Vmbra sunt res mortalium. *Quibus tametsi Comicum suspicias, nescio quomodò captus sis. Nam hac in vita quidem, bona, iuxta ac mala, finem suum habent, & quidem quam citissimè; in altera verò, infinitis vtraque sæculis coextenduntur.*

*Ophelio Grammatico.* 245

Ridet nugas rixasque Grammaticorum.

*FRigidum certè est, tametsi ipsis vocum sectatoribus aliter videatur totum circa verborum minutias occupari, ac de illis digladiari. Sed, quoniam magnum quid de teipso sentis, quod in his apprimè sis versatus, non incongruè mihi facturus videor, si tuam in his persuasionem nõnibil restinguam. Nam* πρεσβύτατος *&* νεώτατος *( idest,* natu maximus, *et* natu mini-

minimus) *non de duobus, vti ipse quidem ais, sed de multis dicitur; nam de duobus dicitur* πρεσβύτερος *&* νεώτερος, *idest*, natu maior *&* minor, *cùm nulli alij intermedij sunt; si verò fuerint medij, & plures duobus, tunc primus, & postremus natu, superlatiuis nominibus vocandi sunt.*

*Zosimo Presbytero.* 246

Calumniari mortuos nefas.

M*Aximopere omnes mirantur, & obstupescunt, cur non te pudeat illos vitam iam functos calumniari, quibus, dum viuerent, adulari solebas.*

*Hieraci Diacono.* 247

Conf. epist. 241. Fugienda libido.

S*I optimè noris, quòd certè verissimum est, licet vecordes homines id negent, intemperantiam pœnas, castitatem sanctimoniæ coronam adferre; quorsum ergò illam, quam fugere oportet, consectaris, eam verò, quam consectari, fugis?*

Paulo. 248

## De metu Dei & hominum.

Conf. epist. 127.

SAepiùs apud memetipsum recogitans, vndenam fiat, quòd hominum timor diuino sit potentior; & absurditatis huius rationem non intelligens, ineffabilem illam ignauiam mecum ipse damnaui. Potentiores namque quin, & iniuriam inferentes, valde æquanimiter ferimus, metu velut fræno nos cohibente nec vlterius progredi, & ferri nos sinente: in imbecilliores porrò etiam nulla nos afficientes iniuria, indignabundi, & furentes insurgimus, tametsi iusserit & præceperit Christus. Ne irascaris fratri tuo temere. Quòd sanè facilius multò est, quam alium sine causa iniuria afficientem tolerare. In hoc namque plurima igni suppetit materia, in illo verò, cum nulla subsit materia, ignem accendimus. Sed non eadem ratio, vt, altero ignem admouente quis non aduratur; & vt nemine turbante quiescat, & tranquillus agat. Qui enim in illo virum se præstitit summæ cuiusdam Philosophiæ specimen dedit; qui verò hoc facit, admirationem nullam meretur. Quando ergo, id quod maius est, ex humano metu facimus, ex diuino autem,

Matth. 5.23.

*autem ne quidem quod minus est facere volumus, ecqua nobis excusatio relicta est?*

*Hermino Comiti.* 249

Conf. epist. 230. Vt capite ægrotante totum corpus malè habet, sic sub malo Episcopo tota Ecclesia.

*CVm caput, quod corporis veluti Capitolium, & maximè necessariorum, & præstantissimorum sensuum domicilium est, emissos reliquo è corpore prauos vapores dispẽsare, & quò conueniat eos amandare debeat, non modò illud non facit, sed & per se, & ex se, infirmum existens morborum causas dispellere non valet; quam corpus, aut valetudinis, aut virium recuperandarum spem habere potest? nullam certè. Hinc est, quod Pelusiensis Ecclesia, ab Eusebio administrata (vt scribis) sexcentis morborum, & passionum malis scatet, cùm qui ipsius esse rector, & caput videtur, in illam grassatur.*

*Dorotheo viro clarissimo.* 250

Conf. ep. 131 Si legislatores pœnis, & legibus homines à peccatis corcere non possunt, multò minus alij nudis admonitionibus id poterunt.

*SI legislatores, vir sapientissime, qui infinita in delinquentes supplicia statuerunt, omnibus*

*omnibus tamen legum obſeruantiam non perſuaſere; an ergò, qui ſolum verbis, & cohortatione nuda perſuadere alicui conantur, vt à vitio deſiſtat, id facere poterunt? an quia non perſuaſerunt, propterea reprehendentur? & quomodò hoc ſtoliditate caret? Si autem, et pro Legislatorum defenſione aliquid dicendum eſt, dixero equidem, ſuppliciorum grauitatem eos, non vt humani generis hoſtes, ſed tamquam eiuſdem curatores, & conſeruatores ſtatuiſſe. Propoſitum nãque illis erat perſuadere vt maleficio abſtinerent: ita vt pœna ſecundarium quid ſit, & immorigeris præſtituta. Neque enim hoc intenderunt, vt multi improbi forent, & caſtigarentur; imò verò contrarium, vt nimirum omnes eſſent boni, nullaque opus foret animaduerſione. Sed, hi quidem timent, improbi verò malum faciunt. Nullum porrò tempus eſt, in quo non vigeat nequitia; ſed quotidie multa, & varia flagitia emergunt, vnde manifeſtum fit, legibus minimè obediri. Vbi enim aliquis pœnam luit, is ſimul & ſupplicij, & inobedientiæ ergo legislatores exemplum præbet. Quinimò ipſimet legislatores iam antè ſciunt, ſe omnibus, vt boni ſint, minimè perſuaſuros: etenim, cum pœnas conſtituunt, apertè oſtendunt ſcire ſe, quod improbos cohibere*

*non possint. Ergone sibiipsis contrarij sunt? minimè verò. Nec desinunt legislatores esse. Sed illi deprædicantur, malefactores verò vituperantur. Eadem ergo de adhortãtibus quoque sit ratio, qui tamen nihil efficiunt. Neque enim, si Eusebius, Martinianus, Zosimus, & Maro grauius ægrotent, quam vt curari possint, illi qui eos commonefaciunt quidem, nihil tamen dicendo proficiunt, culpandi sunt; sed hi quidem probandi, illi verò vtpote curationem non admittentes repellendi.*

## *Eidem.* 251

Conf. epist. 127.

Cum humilibus & superbis non eodem modo viuendum.

*ERga bonos, et probos humilem esse te oportet; erga audaces verò, elatum: nam cùm illi facilitatem, virtutem esse reputent, hi verò audaciam fortitudinem, hinc apud illos humilis modestia adhibenda est, apud hos autem fortitudo, quæ ipsorum persuasionem, ex audacia ortam extinguat. Vt illis quidem prosit, hos verò existimatio tua humiliet. Neque enim ijsdem omnes rebus capiũtur, vti nec ijsdem remedijs curantur, sed prout morborum genera fuerint, ita & remedia sint, oportet.*

*Doro-*

*Dorotheo Presbytero.* 252

Fama memoriaq. bonorum perennis. Conf. epist. 518.

*Tametsi vnà cum amico defuncto, simul quoque memoria apud te extincta videatur, apud me tamen illa immortalis manet. Et cùm hoc in sæculo illa non moriatur, in altero, etiam multò magis reuiuiscet.*

*Alypio Scholastico.* 253

De bono virginitatis coniugio præstantis.

*Virginitas diuinum quid est, & naturam omnem excedens. Legitimum verò connubium, honorabile. Fornicatio porrò contra leges est. Vnde & prima quidem cœlo digna est, secundum terra, tertia denique inferno. Primæ quippe debetur corona, alteri mediocris laudatio, tertiæ verò supplicium. Adulterium namque & homicidium, & alia flagitia, quæ ne nominare quidem fas est, tanto sunt etiam ipsa fornicatione grauiora, quanto quæ contra, & præter naturam sunt, crimina fœdiora sunt ijs, quæ secundum naturam fiunt. Veruntamen omnia hæc peccata, sincera pœnitentia curare nouit, vtpote quæ hanc à Iudice scientiam impetrauit.*

*Timotheo Scholastico.* 254

Aduersa pati in vita perutile.

*CVm hac in vita nihil aduersi pati, supra humanam conditionem sit; melius est, si iniustè patiaris. Hoc enim philosophorum est, illud verò malefactorum: hoc honestorum, illud quadruplatorum atque hoc quidem coronarum materia est, illud scelerum debita merces. Hoc denique debitorem nobis constituit Deum, illud dëbitorum est remissio.*

*Lampetio Diacono.* 255

aliquorum

Contra tyrannicum fastum Episcoporum.

*NOn possum nõ mirari, quomodo veterum quidam tyrannidem in patrium affectũ commutarint; quidam verò recentiorum pastoralem amorem in tyrannicum, & in iuris imperium conuerterint; rati sibi non imperium rationibus reddendis obnoxium concreditum esse, sed imperatoriam potestatem sorte obtigisse.*

*Cyro Monacho.* 256

De malo inuidiæ.

*MEntis & prudentiæ expertes, illos semper odere quos se meliores esse suspicantur, nec tam aduersus eos odium alunt à quibus iniuria affecti sunt (hoc quippe fortasse minus malum foret) quàm erga illos, quibus virtutis gloria inferiores sunt.*

*Zosimo Presbytero.* 257

Ad bonam inuitat frugem; acquiescendum consilijs bonorum.

*NOli existimare propriæ vecordiæ tuæ testimonium, ab ijs qui eadem perpetrãt, confirmatum, veritate ipsa fide dignius fore. Etenim licet qui te occupauit, improbitatis morbus hæc te facere iubeat, & is eodem tecum malo laborantes laudatores habeat; attamen nisi prorsus incurabilis inertiæ morbus te inuaserit, nequaquam iustum est te eorum qui & ipsi morbo laborant, iudicium de rebus admittere (si enim hos sequaris, & contra medicinã & philosophiam senties) sed eorum qui rectè valent. At si nullus hominum tibi bene valere*

*videatur, certè omnium maximè ægrotas. Et si his fidem non habeas, sacram scripturam saltem consule, vbi morbi malignitatem, & eiusdem medelam cognosces.*

*Adamantio,* 258

Eloquentiæ præstat Philosophia.

NOris, amicum illum tuum locutuleium & vocularum aucupem animo redeundi huc venisse, sed philosophiæ amore captum, hic aliquantisper mansisse: etiam lingua repressa, menti excolendæ studet: vtpote cùm didicerit, linguæ elegantiam respectu philosophiæ rem exigui momenti esse.

*Diogeni Diacono.* 259

Diuino potius quam humano auxilio niti decet.

QVare, vir optime, diuinam opem humano patrocinio postponis? aut cur hominum amicitiam diuinæ præfers? atqui oportebat rationem quod æquum est spectantem, non imbecilli hominum potentiæ victoriam asscribere, sed ab inuicta illa dextera dependere qua qui nititur, is demum tentationibus superior euadet.

*Marti-*

*Martiniano, Zosimo, Eustathio.* 260

Exhortatoria ad vitæ emendationem.

NOlite putare, carissimi, vos impune peccaturos; nec diuinam longanimitatem, iniuriam esse existimate, vel malorum tolerãtiam, neglectum: neque quòd pœnas subito non solueritis, ideo etiam postea illas euasuros credite. Sed dum licet pœnitentiam agite. Absurdissimum namque est, Dei patientiam nos inuitantem, ansam & occasionem ad maiora scelera aggredienda fieri. Quod si ideo quia necdum pœnas solueritis, vos nec postea daturos speratis, scitote Deũ sicuti misericors est, ita etiam veracem, & potentem esse. Itaque sicut benignum se exhibet, & prima peccata impunita relinquit, tempus emendationis cõcedens; eodem modo vel etiam magis, sceleribus adultis tandem vindicem se præbet: & simul omnium tam eorum quæ prius, quàm quæ deinde commißa sunt, delictorum pœnas exigit.

*Ischyrioni.* 261

TAmetsi, quod dicturus sum, mirum tibi nouumque videbitur, dicetur tamẽ quia

*verum est: scilicet eum qui grauia peccata cõmittit, sed clanculum & cum nullius offendiculo, minùs puniendum eo qui minora quidem delicta commisit, sed cum libertate, & multorum subuersione. Quòd si dictis meis fidem deneges, & hyperbolicè locutum dicas, è cœlo tibi argumentum adducam, & hanc inde legem tibi prælegam. Sanctissimum namque Moysem, omnesque iam virtutes adeptum nihil aliud prohibuit, quo minùs post maris transitum portum teneret, quàm quòd populum præsentem ad aquam scandalizasset. Nam licèt paulo antea in quibusdã minus obsecutus fuerat (contradixit enim Deo, & semel atque iterum est ab eo in Aegyptum missus; quin & postea dixit:* sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis. Dabo eis esum carniũ mense integro numquid cædentur oues, & boues? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? *postea quoque iussa eius parui fecit, & populi regimen à se auferri petijt) nihil aliud tamen ipsum impediuit, quo minus in terram promissionis ingrederetur, cùm tamen ipse hac de causa aliorum omnium dux, & præfectus constitutus esset: quàm id quod ad aquas contigit. Vnde etiam Deus, sincera illa mens, ipsam peccati natu-*

Num. 11 21.

*ram*

*ram declarans, & ostendens cur venia esset indignus, ait.* Quia non sanctificastis me inter filios Israel, ideo non inducetis hanc multitudinem in terram quam dedi ipsis. *Natura namque sua, delictum hoc cæteris quidem illis minus erat, quia tamen aliorum cum damno id commissum fuit, non solùm prioribus illis, sed & remissione maius fuit. Illa enim priuatim & latenter, hoc verò coram omni populo commissum fuit.*

Deut. 52.51.

*Adamantio.* 262

Eloquentiæ ostentator explosus.

A*Micus ille tuus ad me venit, non vt aliquid addisceret (vt aiebat) sed vt alijs, quid demonstraturus & docturus, & eorum qui aliquid se scire putant sententiam, & opinionem refutaturus. Abijt verò, id passus, quod facturum se sperauerat.*

*Vrano Diacono.* 263

Docendi ratio optima, simplex, sine fastu.

R*Ectè, & laboriosè docentiũ anima (multi namque, quòd cùm ostentatione quaam, & fastuoso contemptu doceant, auditorum*

*rum suorum alacritatem, & animos infringunt) primò per oculos, pietatem & reuerentiam quandam erga Deum instillat (oculi namque sermoni non mediocres stimulos addunt) Deinde etiam per supercilia eorum, quæ dicit ac docet, sensum mẽtemque declarat. Medio verò dicendi genere vtitur, nimirum, quod nec nimium sit affectatum, mollicieque sua offendat, neque ob humilitatem nimium repat. Etsi enim phrasis & dictio Atticismos non redoleat, ipsa tamen dicendi forma, & quòd pietatem intendat, discipulos excitabit.*

*Esaiæ.* 264

## De actiua vita seu negociosa, & contemplatiua.

N*Oli, eò quòd rerum tractandarum gnarus sis, eos, qui eorum tractatione, studio abstinent, ceu otiosos, & inutiles spernere; sed, quòd ipse sæpè in periculosas molestiarum tempestates incidisti, felices potiùs reputa eos (vti par est) qui in quietis, & otij portum se recipere gestiunt. Si verò & illis, non rarò saxa scopulique occurrant, non tamen tale quid est ac simile, non solum per vastum negotiorum tractandorum pelagus nauigare, ve-*

*rùm etiam ſeipſum vltrò in paſſionum mare, conijcere, & tentationem ſponte ſibi accerſere. Illud enim eorum eſt, qui ſeſe periculis vltrò exponunt, & mercatoriam vitam agunt; hoc verò eorum qui iam probati ſunt iuſti, & inſtar auri in igne explorati. At ſi tibi vita actiua & negotioſa prorſus placeat, noris non eſſe hanc talem qualem ipſe intelligis (nam ſi paulò vlteriùs progrediaris etiã Sycophantas philoſophis, propolas & inſtitores mercatoribus ingenuè negotia ſua tractantibus, deceptores & falſarios hominibus omnibus in verbis æquitatem ſpirantibus prætuleris) ſed ipſum virtutum exercitium, & illarum comparationi totum ſtudium ſuum impendere.*

## *Heliæ Diacono.* 265

### Docentis, ac concionantis eſt prius agere, dehinc docere.

DOctorem videre oportet, non ſolùm quid dicat, ſed etiam quid faciat quò apud diſcipulos ſuos fidem inueniat. Omnis quippe ſermo, cùm opere deſtituitur, non modò inane & vanum quid eſſe videtur, ſed auctori quoque ſuo in dedecus, & opprobrium cedit atque is præſertim, qui ab expoſitoribus, & profeſſoribus*

*ribus in cathedra profertur. Nam quo eum amplius exornare & polire hi conantur, eo minus ei omnes credunt; quin imò ridiculum eum esse arbitrantur. Quapropter optimum est, & facere et dicere; si verò nolint, ne dicăt omnino.*

*Theoni Presbytero.* 266

## Tempus labitur. Ratio eius habenda.

*NE nesciamus tempus præterire & effluere, multis id signis & argumentis euidens factum est, die nempe & nocte, hebdomade, mense, anno & olympiade. Olim namque olympiadibus tempus interstinctum & discretum est: dominantibus autem Romanis, per Consulatus est designatum. Etenim si cœlorum motus (vti vult Plato) tempus produxit, sol autem ipsum dimetitur, consulatus denique format (idem enim anno dabatur nomen, quod habebant Consules) sanè omnia hæc certa, & euidentia præteritionis eius indicia fuerunt, non solùm propter corpora, & res ad vitam hanc spectantes (vt censent nonnulli) ob negotia quoque ciuilia, & contractus (etenim & testamenta, & tabulæ, & omnes, vt ita dicam, securitatis cautiones his notis consignantur) verùm etiam vt nos, ignoto velut in pelago nauigan-*

uigantes, nec illud certis quibusdam signis distinguentes, seu sponte nostra in portum delati manibus vacuis eodem appellamus; sed tempori, quod velocissimum est, neque reuerti, nec retrocedere, imò nec stare, stabile, vmquam potest, cognata consimiliaque bona opera possidentes, multis cum mercibus portum subeamus. Quocirca temporis quod iam instat & vicinum est, solum rationem habeamus; tunc quippe, id comprehendere, & retinere possumus: etenim iam elapsum & præteritum, recuperare impossibile est: cùm enim alatum sit & rapidum, sui insectatores valdè longè à tergo relinquit; & verò non potest, etiam ab ijs qui propè sunt comprehendi.

### Eidem. 267

## Pœna quando irroganda.

DVm improbitas effrenatè furit et rabiescit, nec vllum de temperantia modestiaque quid monitum vult admittere, sola pœna & castigatione cohiberi debet.

*Cyrillo Episcopo.* 268

## Regia, & Sacerdotalis dignitas, mutuam præstant operam.

*OLim quidem, sacerdotium reges, si quando laberentur, redarguebat, & ad vitæ emendationem prouocabat; nūc verò vice versa sub hos illud deiectū est: non quod propterea id pristina sua dignitate exciderit, aut illa sit imminuta, sed quod ijs, qui eius sunt curæ concrediti, non eo præluceat exemplo quo olim, & auorum memoria. Olim namque, cùm Euangelicam, & Apostolicam vitam sacerdotes ducerent, meritò Regibus dignitas illorum venerationi & terrori erat; nūc verò Regia Sacerdotali; aut potiùs, non huic, sed ijs qui sacerdotes quidem esse apparent, factis verò & operibus suis dignitatem illam violant & lædūt. Vnde & Reges non malè meo iudicio, facere videntur: cùm enim propositum ipsis non sit, sacerdotium, vtpote quod religiosè venerantur, opprimere iniuriaue afficere, sed id violatum læsumque vindicare; hinc eo, non prout oportet fungentes ad mentem reuocare student.*

Loquitur de Theodosio pijssimo Principe cuius aula vocabatur aula sancta.

*Heliæ*

*Heliæ Diacono.* 269

Pati aduersa salutare corpori animæque.

*HEus, bone vir, non sunt lugendi qui peccant, & simul hoc in mundo castigantur; sed qui peccantes semper impune habent. Quemadmodū enim periculosum nō est, ægrotare; sed, ægrum medicamenta & curationem nolle admittere; sicut quoque deplorandum non est, putidum aliquod vlcus habere, sed hoc habentem, arte medica qua iuuetur, carere: qui enim secatur & vritur, valetudinem breui recuperabit, & à dolore suo releuabitur. Eodem modo & in animabus vsuuenire oportet: quæ enim hic castigantur, ad salutem tendunt; at quæ impunè habent, ad indolentiam.*

*Hermino Comiti.* 270

Tentationes exemplo Iob saluti esse.

*EAedem passiones non ex iisdem per omnia radicibus enascuntur, vti nec omnes, quæ hoc in mundo infliguntur, castigationes suam è peccatis originem habent: alij quippe sua ob peccata castigantur, alij patiuntur vt probentur; illi quidem vt dent pœnas, hi verò virtu-*

*tis suæ specimen & argumentum. Nam sicuti* Βασανίτης, (*idest Lydius lapis*) *aurum explorat* (*a quo lapide & verbum* Βασανίζεσθαι, (*idest explorare*) *dici & denominari arbitror*) *ita quoque tentationes viros iustos ostendunt & produnt; sicut & Iob olim dictum est* Putas
Iob 40. 3. iuxta LXX. me aliter respondisse tibi, quàm vt appareas iustus? *Stulti verò, visis tentationibus iuxta illas eorum qui tentantur vitam carpendo calumniantur; vti olim amici Iob, Semei, ac barbari fecere. Primi namque illustri illi Athletæ, qui omnem diaboli potentiam, & impetum*
Iob 4. 4 2. Reg. 16. 17. *exsuperarat, dixerunt:* Nonne dignè ob peccata tua flagellatus es? *Alter verò virum mitissimum, vocauit homicidam & sanguinariũ, ob calamitatem quam tunc patiebatur, tale de eo iudicium, & sententiam ferens. Postremi denique cùm anguis Apostoli manum inuasisset, dixerunt.*
Act. 28. 4. Vtique homicida est homo hic qui cùm euaserit de mari, vltro non sinit eum viuere.

Theognosto. 271

Diuitiæ, honor, & prudentia humana caduca sunt.

D*Iuitiæ, vir admirande, esto plurimæ sint, & vndeundique affluant, nihil sunt, nihil*

*nihil quoque dignitas, tametsi regia sit; nihil denique intellectus, & prudentia, licèt ei accedat eloquentia; nisi spes in Deum, his omnibus admista fuerit. Diuitiæ namque, quibus Deus non suffragatur caducæ sunt: sæpissimè namque radicitus, ad vltimum vsque quadrantem, vnà cum sui possessoribus exstirpantur, ad instar sterilis cuiusdam & agrestis arboris, quæ proximis sua vicinitate noxia est. Lubricum quoque & infidum est regnum, quod ab inuicta Dei dextera non dirigitur, & gubernatur. Prudentia denique, quæ diuina sapientia ornata non fuerit, prorsus inutilis est, cùm nullis habenis possit cohiberi: prudentes namque in præceps ac posteriora agit, eorumque consilium ac sapientiam infatuat. Quamobrem, si omnia quæ sunt in hoc mundo, instabilia sint ijs qui erga Deum instabiles existunt, futura verò adhuc difficiliora; nostrum est sacra spei anchora niti.*

*Nilo.* 272

Prædicit imminentem Ecclesiæ calamitatem ex scelesta clericorum vita.

*QVod ipse mihi scripsisti, audax quidem, verum tamen est; nimirum, rerum omnium instaurationem à Christo fa-*

*ctam, quæ spe omni & precatione melior, & maior est, periclitari, ne à nimia eorum, qui ab illo honorati sunt improbitate inobscuretur. Nam sicut in hoc toti incubuere, vt ipsum à quo honorati sunt bello impetant et oppugnent: ita quoque omnia faciunt, quæ in illius opprobrium, & calumniã cedãt. Ecquis ergo hos vel ab accusatione, vel à pœnis esse liberos pronuntiet? Vtpote qui sacerdotij armis, contra eum qui hæc ipsis in manus dedit, vsi sunt, ora quoque infidelium aperuerunt, & vt excellens correptio inutilis, & irrita foret, effecerunt.*

*Dorotheo viro clarissimo.* 273

## Virtutem verbis qui iactant, opere verò ipso non colunt vitandi.

*NEmo certè in cœlicum cœtum admittetur, qui virtutis ornamentis non fuerit insignitus. Nam aliqui verbis quidẽ eam, vti ais, extollentes, & vbiuis ore tenus crepantes, operibus ipsis ea faciunt, vt non modò cœtu illo excludi, sed & pœnas luere mereantur: & hos patet aliud habere in lingua aliud in pectore & mente: quos proinde non tam imitari, quàm summopere deplorare oportet.*

*Dioscoro, & Timotheo.* 274

Ad Methemæam inuitat.

*ACcusationes, quas contra vos, ò boni viri, nonnulli tametsi alioqui fide digni esse videãtur, verbis scitè cõuestitas depromunt, minimè me prohibebunt, quo minùs vos officij vestri commonefaciam. Graue enim certè fuerit, si illorum calumniæ nostram erga vos beneuolentiam extinguerent. Quid ergo velim dicere, paucis audite: ostendere vos vita vestra debetis, illos vera non dixisse, sed mentitos esse: at si verum dixerint, resipiscite, & emendate vos. Si nolitis, scitote vos ex amicorum meorum numero delendos.*

*Palladio Diacono.* 275

Propria prius vitia emendanda quam aliena reprehendenda.

*RIdiculum cum primis est, eũ alijs præesse & dominari velle, qui se ipse regere non potuit. Qui enim effrænes animi sui passiones, & motus non solùm non refrænauit, sed licentiam insuper ijs dedit omnia faciendi, quæcumque & volunt & possunt, næ omnium se is*

*risui & sannis exponet, si aliorum errata corripere & corrigere conetur. Perinde enim facit, ac si medicus quispiam, fœtentibus vlceribus scatens, ea quæ in proximo vlcera videt, curare vellet.*

*Hermino Comiti.* 276

Conf. epist. 393. lib. 1. ep. 149. 151. lib. 3. epist. 394.

De grassante simonia, seu sacerdotiorum nundinatione.

*TAm qui sacerdotium diuendunt, quàm qui emunt (vti scripsisti) euidenter cõtra seipsos testantur, & ostendunt, quonam res isthæc, & dignitas apud ipsos loco & in pretio sit: nam alioqui, non auderent, rem diuinam, & quæ optimo regimini, & sanctissimis moribus deferri debet illi vendere, hi emere. Ipsa namque illam suscipientis aptitudo, canon quidam & norma est, iuxta quẽ deferri ea debet, nisi hic eam velut puerile & ludicrum quid existimet. Nouit ergo prudentia tua, quas pœnas luituri sint illi, qui in re in qua iocandum non est, tam iculariter agũt. Olim quidem apud Hebræos, cùm sacerdotium in vna certa familia maneret, multi murmurabant, cur id generi & sanguini, non autem meritis & virtuti deferretur: iam verò, postquam*

*quam in melius commutatum est, & soli virtuti assignatū, magis ipsum negligitur, & contemptibilius habetur, quàm dū inferius erat, & familiæ stirpique hereditarium. Tunc namque, etsi nonnulli indigni interdum eo fungerē-tur, non deerāt tamen etiam eo digni & summæ probitatis. Tunc ipsum pecunia & auro emere, omnino vetitum erat; nunc verò, quando & in melius transiit, & virtuti soli consignatum est etiam ampliùs euiluit. Quis enim vir bonus alijs assentari velit, vt ipsum consequatur? quis audeat pecunijs mercari rem Angelos ipsos decentem? Si ergo boni neque alijs assentari velint, neque emere audent; sint autem (vti scribis) quidam qui sacerdotium, & assentationibus & auro propinant, et exponunt (quos sanè sexcentis dignos esse constat supplicijs, & castigationibus) illi certè & assentari, & emere id non recusent. Quamobrem terra marique fama increbuit fore, vt nulli rectè viuenti, aut probo, posthac ad sacerdotiū aditus pateat: non, quòd nullos dignos dignitas hæc iam habeat, sed quòd hi non solùm in plurimorum indignorum multitudine velut obscuri delitescant, verùm etiam illorum odio expositi sint, insidijs petantur, loco denique suo deijciantur, & exauctorentur, tamquam*

*qui indignorum, & communium vitam sua tacitè reprehendant.*

*Eidem.* 277

Hosti parcens verè magnanimus.

N*Oris, vir admirande, insigne tibi te, inimico tuo dum pepercisti, magnanimitatis nomen cõparasse: & hoc ipsum ego qui tuos mores optimè perspectos habebam, prædixerã, nimirum, illum, postquam eum sic subegisses, ostensurum generositatem, & pusillanimibus os obturaturum. Erant autem, qui id non credebãt, vtpote qui iuxta ea quæ in ipsis sunt, de alijs iudicium ferunt; exitus tamen ostendit, in mea me coniectura minimè errasse. Quẽ enim comprehendere, & capere studuisti, captũ domum dimisisti, vt non imbellis & timidus, sed potens, & humanus habereris.*

*Petro.* 278

Cur sacerdotij dignitas regibus ante veneranda fuerit.

T*V quidem miraris, cur olim apud maiores nostros purum sincerumque honorem sacerdotibus omnes deferrent; nunc verò, alij quidem fastu & elatione pleni, apertè illos calumnientur, & sugillent, alij verò, in faciem*

quidem

quidem eos venerentur, occultè autem ipsis detrabant, alij eos fugiant; alij denique tametsi ipsis assentantur, tamen quia insidias quoque ipsis struere poßunt, probris insectentur. Ego autem hoc non miror: cùm enim non eadem faciant quæ illi, hinc etiam non eadem consequuntur; sed quia contraria & alia quàm illi consectantur, hinc & contraria accipiunt. Contrarium enim si fieret, admirãdum certè eßet: nimirum si cùm non faciant quemadmodum maiores, eumdẽ quem illi honorem consequerẽtur. Ab illis namque etiam Reges, cum peccarent, ad saniorem mentem vt redirent, corripiebantur; ab his verò, nę priuati quidem, cùm opulenti sunt. Quinimò si vel pauperem quempiam ad frugem bonam reducere conentur, conuitijs excipiuntur, tamquam qui sæpè in eadem impingunt, circa quæ illos corripere, & emendare audent. Quocirca olim quidem sacerdos populo, nunc autem populus sacerdoti timorem incutit.

*Heraclidi Episcopo.* 279

Blandius agendum in delictis puniendis more medici.

INgens certè & enorme isthoc scelus est, non tamen maius quàm vt veniam promereatur:

*tur, vnde punienda quidem committentis est audacia, venia verò ei danda. Forsitan morbus, & malum hoc eum disponet vt valetudinem recuperet. Cùm & medici præstantissimi, dum læsus multa habet vulnera, non tantam iis adhibeant curationem, quantam fortassis ipsa necessitas & artis magnitudo requireret, sed eam quam ipsius læsi vires ferre queunt; ne dum vulnera curare volunt, vulneratum & laborantem perdant.*

*Petro.* 280

Conf. ep. 23. Rom. 12, 20. Bonum pro malo rependendo gratia initur. Sic carbones congeres supra caput eius.

*TAmetsi ad oculum pateat, aduersarium tuum insanire & odio velut ebrium esse; ea tamen is loquitur, quæ opere & reipsa, cùm licuerit, exequetur. Verùm hoc te minimè conturbet, nec in causa sit, vt ei reconciliari, & placari nolis, sed potiùs vt ei benefacias. Tametsi enim bellua esset, & omni lapide insensibilior, beneficentiam tamen tuam suspiciens, beneficioque victus, odium omne deponet.*

*Petro*

### Petro Monacho. 281

Scripturæ oratio humilis, sed mens profunda. Humana autem sapientia culta verbis, sensu cassa; quare hanc illi vt ancillam dominæ inseruire æquum est.

*Diuinæ sapientiæ sermo, & dictio, humilis quidem & repens est; sensus verò, sublimis & planè cœlestis: gentilis verò sapientiæ dictio & phrasis, insignis quidem & elegans est, res porrò humi serpens. Si quis autem illius sensum, huius verò habere phrasim possit, meritò is sapientissimus omnium habeatur. Potest namque ipsa elegantia quoddam supercœlestis sapientiæ instrumentum esse; si ei, perinde ac corpus animæ, vel vt lyra lyricini subijciatur, nihil quidem iuueniliter de suo in illa innouando, sed sublimia illius sensa, & conceptus interpretando. At si hunc ordinem inuertat, & cùm seruire & subesse debeat, eam se regere, aut potiùs tyrannicè ei imperare posse existimet, proscribi, & eliminari ipsa meritò debeat.*

### Boetho Monacho. 282 Conf. ep. 56.

Dei voluntate iusti in mundo sæpè affliguntur.

*Ne te conturbet, quòd multi virtutis sectatores sexcentis hoc in mūdo exagi-*

*tentur*

*tentur malis & aduersitatibus, sed hoc potiùs cogitare te faciat, hoc ipsum et maximis Regũ terræ huius amicis vsuuenire; vtpote qui in bellis, præ alijs, maximè discrimen vitæ adeũt vulnera accipiunt, ob quæ trophæa illustria erigunt, denique in longinquas procul à domo sua expeditiones amandantur. Quod si neges, cogita iustos quoque nonnullos secundis hoc in sæculo rebus affluere et perbellè agere. Quarè si tibi, velut imbecilliori, scandalo sunt qui in tentationibus agunt, ædificationi sint qui in recreationibus, & delectationibus æuum agitant, & si te scandalizent qui in recreationibus, & secunda fortuna improbi sunt, ædificent econtra qui in castigatione & pœnis sunt.*

*Theodosio Scholastico.* 283

## Virtutum vitiorumque nomina à multis confunduntur.

M*Iror non parum eos, qui res simul, & nomina confundunt: eò namque sapiẽtiæ perueniunt, vt intrepidam loquendi libertatem impudentiam, contrà verò impudentiã libertatem quandam vocent; in vtraque cognominatione errantes. Hoc namque spectant & agunt, vel vt loquendi libertatem tacere*

*faciant*

*faciant & compeſcant, vel vt impudentiam deterius adhuc vitium reddant; neſcientes (vel ſcientes quidem, at inaniter falſa ratione decipientes ſemetipſos) impudentiam inuereundā quamdam in turpiſſimis paſſionibus eſſe nugationem, libertatem verò loquendi liberam, & intrepidam in honeſtiſſimis et pulcherrimis defenſionem. Oportet ergo, non tam corruptorum hominum opinionem ſequi, quàm ipſi rerum veritati adhæreſcere. Neque enim qui huiuſmodi ſunt, contra homines ſolùm linguas ſuas acuunt & ſtringunt, ſed & contra diuinam potentiam; illius enim longanimitatem incuriam & neglectum appellare non erubeſcunt. Non ergo mirum eſt, ſi audaculi hi, nihil non audentes, nomina immutent, cùm & in cælum ipſum tela ſua iaciant.*

*Primo Monacho.* 284

Virtus ſpe præmij ſuſtinetur, ſed & ipſa virtus præmium. Conf. ep. 63. 223.

*QVi virtutis cultori coronam, & præmium promittit, duplex ei donum impertitur primum quidem, ipſum illius opus, & exercitium; alterum verò, eius præmium & remunerationē. Neque enim opus*

*& cer-*

*& certamen ipſum, tametſi laborem aliquem includat, ipſo eius præmio mihi minus eſſe videtur. Si quidem virtus coronæ ſit occaſio, & cauſa, corona certè ſine virtute nulli cõfertur.*

*Orioni Monacho.* 285

Conf. epist. 484. Præſtat non bellare quàm ſubſidijs niti.

*TVtius longè & ſecurius eſt omnino bello non impeti quàm ab alijs in bello, inita armorum ſocietate, iuuari. Illud namque quietem, & otium continet; hoc verò, etiam inuitum pugnare, & belligerare hominem, vnà cum ſocijs qui priùs auxilio, venerunt, etſi hi bellum iniuſtè ſuſcipiant, iubet. Sæpè enim quidam ab alijs oppreſſi ſociorum opem, & ſubſidia implorarunt: quæ conſecuti, ſocios quidem ſocij iuſtè defendunt, bello verò oppreſſos non iuſtè oppugnant, itaque non tam iuſtum beneficium faciunt, quàm iniuſtum.*

*Zenoni.* 286

Quid inter Νουθετεῖν ϗ θέλγειν interſit.

*IVniores oportet, vir ſapientiſſime,* νουθετεῖν *[ideſt admonere] non verò* θέλγειν *[ideſt blandiendo demulcere] illud namque [Græcè] dicitur*

*dicitur* παρὰ τὴν τοῦ νοῦ θέσιν [*ideſt, à mentem inde hoc verò* παρὰ τὸ εἰς ὃ θέλει ἄγειν [*ideſt, à ducendo in id quod vult*] *vel* παρὰ τὸ θέλοντα ἄγεσθαι [*ideſt à volentem duci*] *à voluntate ergo propria iuuenes ſunt abducendi, & ad id quod decens & bonum eſt conducendi, docendi quoque virtuti inſiſtere, à vitijs verò & flagitijs abſtinere. Illa namque coronas, & præmia, hæc verò ſupplicia & caſtigationes conciliat.*

## *Nilo.* 287

### De ijs qui manus ſibi adferunt.

SI *de mare & femina, qui tamen duo ſunt dictum eſt.* Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet; *quomodo ergo qui violenter animam à corpore ſeparat, & ſe vel laqueo ſtrangulat, vel enſe necat, veniam à Deo promerebitur? Huiuſmodi ergo qui ſunt, execrandi & infames, etiam poſt mortem, apud veteres reputabantur; quin & manus eius qui ſibi vim intulerat, abſcindebatur & ſeparatim & longè à reliquo corpore alicubi terræ infodiebatur. Nefas namque & impiũ hi cenſebãt, eam, quæ cædi cooperata fuit, & velut adminiſtra, cum reliquo corpore conſanctificari, & coniungi. Si*

Matth. 19. 6. Mar. 10. 9.

*ergo*

*ergo etiam à manu homines pœnam, & quidem post mortem, repopoſcerint; quam anima, quæ manum impulit & exſtimulauit, veniam conſequetur?*

*Iſidoro Epiſcopo.* 288

## Tres proborum hominum gradus, ingenui mercenarij, & ſerui.

*QVi ſolo mercedis ac retributionis intuitu quæ officij ſunt ſui, faciunt, imperfectiores, & inferiores ſunt ijs qui è ſolo virtutis & honeſti amore bene faciunt; perfectiores tamen ſunt ijs, qui è ſolo metu pœnæ, & non virtutis amore id præſtant, ampliùs aut certè tanto, quanto inferiores ſunt ex amore, & ſolùm propter ſe, virtutem exercentibus.*

*Eidem.* 289

## Sapiens laqueos euitat improborum.

*TAmetſi quidā ex ſe gnari & ſolertes ſint, vt alios occultè quidem falſis rationibus decipiant, apertè verò, & palam eos ſupplantent; vir ſapiens tamen cùm omnibus his ſuperior, & cautior ſit, fraudem quidem deprehendet & deteget, calliditatem verò, & ſolertiam hanc reprehendet.*

*Hera-*

## *Heraclidi Presbytero.* 290

De commonentis officio. Heli cur cum liberis à Deo punitus?

M*Onitorem (vt equidem existimo) oportet, neque verberibus agere, nec calumnijs, nec ipso monito condescendere; sed solùm cum libertate quadam coarguere, ita vt eum nec vereatur, nec vllatenus reformidet. Si verò hac de re dubites, è sacris litteris tibi oracula recitabo. Quid enim Ezechieli Deus ait?* Et tu si annuntiaueris impio, & non fuerit conuersus ab impietate sua impius, in iniquitate sua ipse morietur: tu autem animam tuam liberasti. *Tacens namque, & loqui liberè non audens supplicij, inquit, ei inferendi participem te constituis: prius namque dixi.* Si tu non annuntiaueris ei sanguinem eius de manu tua requiram. *Proferẽs verò quæ in te sunt, & sic officio satisfaciens tuo, reus non eris, & condemnationem euades. Nam ille quidẽ grauiùs luet, & acriùs castigabitur, quòd tuam commonitionem admittere noluerit; tu verò quod tibi mandatum est, exactè exequutus, indemnis eris, & pœnæ expers. Illud namque præcipuum doctoris officium est, inculpabilis*

Ezech. 3.19.

*vitæ*

*vitæ exemplo, quod præbet, alios instruere, peccantium verò auctoritatem nequaquam vereri: vt verò executioni mandetur quod traditur, vel non, à sola discipulorum pendet voluntate quò sua libero arbitrio libertas in omnibus, & vbique integra constet. Si verò obÿcias, quomodo ergo Paulus fornicarium illum à cœtu fidelium exclusit? plus certè quàm initio ipse proponebam, mihi obÿcis. Neque enim ipse hunc aut verberibus, aut iniuria aliqua contumeliaue affecit, sed à reliquo grege fidelium eum solùm segregauit, ne morbida illius contagione & reliquæ oues inficerētur. Si rursum opponas. Quomodò ergo Heli, qui filios corripuit, & nihil apud illos profecit, pœnas Deo dedit? Respondeo totis eum viribus, & omni animi contentione in filiorum etiam sacerdotum delicta animaduertere, à sacris illos arcere, imò & à cōspectu & ex oculis suis eÿcere, sacerdotÿ denique ordine graduque deÿcere oportebat, præsertim cùm in Deum iniuria tenderet, & transiret. Quod quia nō fecit, hinc Deum offendit ac sibi iratum reddidit: nam ita filios suos diligere debebat, vt tamen officio satisfaceret suo, nec debiti fines trāsgrederetur, sed diuinam legem, quæ violata erat, defenderet ac vindicaret. Rursum posset quis, illius*

1. Cor. 5.5.

1. Reg. 1.3.

*causam tueri ac defendere volens, respondere, non videri illam tantum pœnarum dedisse, quantum filij: hos namque diuina ira exundāte, turpiter ac misere in bello occubuisse; hunc verò, annis & profundo senio grauem, in ciuitate esse defunctum: & hanc ipsam castigationem, si verba Dei minutim, & vt sonant examinemus, non tam aduersus ipsum quàm dominum eius decretam, & pronuntiatā comperiemus: Nam ait,* Iuraui domui Heli, si expietur peccatum domus Heli, vel victimis, vel sacrificijs in æternum. *Non dixit* Iuraui Heli; *neque*, non expiabitur peccatum Heli (*Hoc namque forsan ei, ad solius huius negligentiæ correctionem satis fuisset: nam quoad cætera satis laudabiliter vixit; quæ verò exinde ei contigerint, sanè horrenda fuere*) *Sed* domui Heli, *quasi dicere vellet. Ii qui peccauerint, omnimodò perire, & deleri debent. Si verò, postquam in aliam familiam ac cognationem sacerdotium Deus iam transtulit (ait qui illius partes tuendas susceperit) dicat quispiam id meritò factum esse: nam eos qui ex filijs eius qui peccauerant, & tam Deum quam patrem contempserant, prognati erant, sacerdotio fungi non oportebat.*

1. Reg. 2. 31.

*Heliæ Diacono.* 291

Conf. ep. 65. 173.

## Fugiendum esse libidinosum feminarum aspectum.

*MErito seruator noster Christus lasciuũ conspectum, qui aliena se pulchritudine pascit & oblectat, castigandũ interminatus est, hac ratione nos à multis negotÿs & difficultatibus liberans; ne per oculos aliena pulchritudo sese insinuans, mentem in seruitutem redigat, & primarias animæ partes præoccupans, rationem passioni parere cogat; qua iam victa & subacta malum difficilè sanatu, ne dicam prorsus insanabile, redditur. Vide ergo, ne tyrannica voluptatis passio animam expugnans & subigens, non impossibilem quidem, sed tamen difficilem admodum, eiusdem curationem & sanationem reddat.*

*Eidem.* 292

Matth. 5.44.

## Diligite inimicos vestros.

*ETsi soleant omnes in grauissimis malis et calamitatibus, potius ducere, vt votorum suorum ipsimet compotes fiant, quàm vt aduersarÿ ÿs quæ volunt frustrentur; nos tamen,*

*men, qui Christi discipuli, esse gloriamur non solùm quod nobis, sed & quod aduersarijs nostris conducit & expedit, quæramus. Etenim in eo quod proximo expedit (etsi quod dicturus sum, peregrinum & nouum videatur) nostrum quoque commodum situm est.*

*Isidoro Diacono.* 293

Sacræ scripturæ vna veritas, quamuis ad sensus varios torqueri possit.

*QVamuis permulta sacræ Scripturæ verba (vti ais) ad illum quem quis callidè velit, sensum facilè sit trahere, & velut violenter torquere; ipsa tamen veritas ijs, qui hac ipsa malitiosè vel adulterare, vel secùs quàm oporteat interpretari ausi sunt, semper præualuit præualet, & vsque præualebit ac superabit.*

*Eutomio Diacono.* 294

Gloriæ inuidia comes.

*VIderis mihi ignorare, opera & facinora maximè eximia inuidiæ subiacere & obnoxia esse solere, & præclaros & illustres viros hanc minimè effugere posse, ac propterea*

*mihi turbari visus es. Quapropter hoc ipsum tibi imprimens & cognoscens, turbari desine. Præstat namque virtutis studiosos & cultores, ab ijs qui neminem probum esse volunt, carpi, quàm ipsos improbitatis asseclas, ab ijs qui rectè sincereque de rebus diiudicare nesciunt, laudibus celebrari.*

## *Ischyrioni.* 295

### De lectione sacræ scripturæ non huius vitio improbos fieri.

*SIquidem omnes qui sacras Litteras tractarunt suam iuxta earum sensum & expositionem vitam instituissent, meritò & ex ratione hic locutus fuisses: at si plures, quos ipse & forsan, tu nouimus, ipsas cōmonitiones sacras identidem crepantes, quin & apud alios tantum non consecrantes, clàm & in occulto planè contrariū facere audeāt, idcirco scripturam ipsi nō condemnabimus. Docet illa non esse malum & iniquitatem faciendam, & interim multi iniqui sunt. Quid porrò hoc ad illam? Scripsi ego aliàs Zosimo, vt intemperantia & libidinibus abstineret: & ipse spurcitijs & carnali cœno etiam magis se inuoluit. Quid hoc ad me spectat? nihil omnino, nisi si id quis pusillanimitatem quamdam esse dicat.*

*Alphio*

## *Alphio Episcopo.* 296

### De varijs hominum ingenijs.

Conf. epist. 288. lib. 3. ep. 114.

*MIror, vndenam fiat, quòd non ijsdem omnes rebus capiantur; sed quòd eorũ qui commissorum veniam semel iam consecuti sunt, hi quidem virtuti deinde incumbere incipiant; illi contrà improbitatem amplectantur: illis quidem ignoscentis bonitas salutis, & sanitatis consequendæ occasio sit, alijs verò letalis sit & noxia: illos namque corroborat, hos verò dissoluit; illos cogit erubescere, his pudorem & erubescentiam omnem adimit. Sed nec ex eo quòd pœnæ statim à delinquentibus rèposcantur, omnes eodem modo vtilitatem capiant: alij namque id ceu inhumanum culpãt; alij è metu quodam & non ex amore, malis & vitijs abstinent: illi cum ipsa pœna pertinaciter velut contendentes, iniquè agere pergunt; alij pati timentes non faciunt quæ facere alioqui vellent: qui meliores quidem sunt ne quidem mihi pœnarum ad mentem & modestiam redeuntibus, inferiores tamen ex amore quodã bonum consectantibus; idque tanto, quanto hi digniores sunt supplicia timentibus, hi namque suppliciũ, illi verò salutem fugiunt; & hi*

*quidem ne dent pœnas, illo verò eas vt dent, intendunt. Cùm ergo, quid in tali rerum confusione faciendum sit, petas, equidem accuratè dicere nequeo (nouit eum is qui corda scrutatur Deus) nisi quòd, vt equidem opinor, in paruis peccatis, siquidem delinquentes occultè se emendent, oporteat conniuere et dissimulare, quasi ipse ea nescias; at si in peius ruant, & deteriorentur, post correptionem & moderatã castigationem adhibitam ignoscere. Verùm, in maioribus & grauioribus peccatis, pœna infligenda est, ac peccantes corrigendi, illos partim ab alijs sequestrando, partim obiurgando & increpando, vsque dum resipiscant; ac tum demum in gratiam admittendi.*

*Iosepho Presbytero.* 297

## Sacerdotio non superbiendum.

*SI eò quòd (nescio tamẽ quomodo) alijs prælatus, & ad sacerdotalem dignitatem euectus sis, superbias, & tam sublime quid de te ipso sentias, vt neque eos qui in minoribus quidem subditi sunt, probi tamen & honesti sunt imiteris, tuæ certè me miseret dementiæ. Si verò minores te intueri non dignaris (quod certè longè grauissimum) si item ijs, qui (vt putas)*

*dignitate tanto te inferiores sunt ipse moribus & operibus deterior & minor appareas; & quibus antecellere nihil magnum & admirabile arbitraris, ab ijs vinci ac superari videaris. Et vt illorum vitæ ratio summè ignaua & vecors esset, te tamen virtutis studium minimè oportebat dimittere. Nam discrimen, quod te inter & illos est, dignitatisque distantia, tibi ignosci penitus non permittit. Si verò illi, interim illustriores probatioresque sint, quamuis etiam ductorem nullum habeant, tu tamen (nolo autem quid grauius dicere) vide quomodò tandem aliquando malum hoc desinat.*

*Eutonio Diacono.* 298 Conf. epist. 294.

## Virtus calumniæ obnoxia.

N*Oli putare, per virtutis exercitium te calumniam posse propulsare & impedire. Nam ipsi virtutis cultores, præ cæteris & maximè insidijs appetuntur ab his, qui nec ipsi quidquam honoris habent, quia virtuti non incumbunt, & ijs qui propter virtutem honorantur, inuident. Satius proinde est, eius cultores maledicorum & obtrectatorum malignitatem æquanimiter ac generosè ferre, quam*

*inuidiam deprecantes & declinantes à virtute desciscere.*

*Hermino Comiti.* 299

Quinam veri Apostolorum successores.

M*Iror, quosdam eorum qui nunc ad magistralem cathedram euecti sunt, Paulum Apostolum admirari, nihil tamen eorum*
2. Cor. 11. 29. *ob quæ ille adeò mirabilis euasit, consectari. Ille namque vt miracula, ieiunia, vigilias, solicitudines, & ardentem eius zelum, quo & cũ infirmis infirmabatur, & cùm quis scandalizabatur, vrebatur, prætercam, ea certè concione, quam ad discipulos suos & neophytos habuit meritò clarum & illustrem maximè se*
Act. 20. 33. *ostendit. Ait enim,* Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui: vos scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. *Hi verò (nihil porro odiosum aut graue hic dicere volo) tanto sese viro conferre non erubescunt, at se illius esse successores iactitant. Sed liquet apertè, illos eum admirari, non tam vt eum imitentur quàm vt, dum diuini huius viri successores esse creduntur, ab alijs honore afficiantur; idque non ob ea quæ ipsi faciunt, sed ob quæ ille,*

*ille, quia aliàs ea fecit, omnibus admirationi nunc est.*

*Eidem. Est pars superioris epistolæ.* 300

Samuelis Prophetæ exemplum vrget contra malos Episcopos.

SI *Paulo quidem cedant, & inferiores se habeant, eò quòd Saluator de illo dixit,* Vas electionis est mihi iste; *quid de Samuele* Act. 9. 15.
*dicent, qui ijs temporibus reip. præfuit; quæ vsque adeò perfectam virtutem non exigebant? Hic namque cùm liberum subditis suis* 1. Reg. 12.3.
*de se iudicium permisisset, & neminem non* Eccli. 46.15.
*qui ipsum carpere vellet, citasset, & interrogasset, num, vti Dominus ac princeps, aliquid concupiscendo subditorum quempiam iniuria affecisset; à nemine condemnatus est, neque in ijs rebus deliquisse conuictus, in quibus illi alij assiduò delinquere conuincuntur.*

*Hieraci viro clarissimo.* 301

De Oeconomi etymo.

SI οἰκονόμος [idest dispensator] *dicatur, vel* παρὰ τὸ ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον νέμειν, *vel* παρὰ τὸ ἑκάστῳ τῶν ἐν τῷ οἴκῳ τὸ πρὸς ἀξίαν νέμειν [idest, vel

abeo

ab eò quòd vnicuique proximum distribuat, vel ab eo, quodcumque pro dignitate ex ijs, quæ domi sunt aliquid dispenset ] *meritò miraris, quomodo Eusebius, qui nihil tale facit, sed & populi facultates deglubit, adhuc concionari audeat; & cùm pauperum bona sibi vindicet, os aperire præsumat, quod variæ accusationes illi occludunt.*

*Dorotheo viro clarissimo.* 302

Conf. epist. 222. Huius, & futuræ vitæ dissimilitudo.

*QVemadmodum quæ hac in vita est inæqualitas, quædam æqualitatis esse videtur differẽtia; sic quæ in futuro sæculo erit, disparitas (quia omnes idẽ præmium nõ habebunt; neque enim par est, vt qui paria & eadem non fecere, paria ijs præmia contribuantur) quoddam est æqualitatis ac iustitiæ argumentum. Sed quæ hoc in mundo datur inæqualitas, nonnisi studij & exercitationis causa contingit; quæ vero in altera vita, iustitiæ & probitatis gratia fiet.*

*Paulo.* 303

Deo Opt. Max. pro virili gratiæ agendæ.

*IN gratiarum, quas Deo habemus, actionibus, omnia quæ in nobis sunt, deprimere nos oportet;*

*oportet; cùm non habeamus, quod ei ex condigno debemus. Quid enim condignum depromamus illi qui omni, quæ ei reddi possit, compensatione & gratiarum relatione maior est?*

## *Petro.* 304

Periculosè laborant, qui malè agentes boni videri cupiunt.

*MVlti optant, cùm ignobilia & turpia faciant, nihilominùs gloriosi & honesti haberi; at sapientes idipsum auersantur: externa enim gloria internam ignominiam magis apparere facit & prodit. Et qui se tantùm rectè valere putat, bonæ valetudinis opinionẽ firmiter sibi imprimens, is ne quidem medicamenta & medelam sibi applicari patitur.*

## *Eidem.* 305

Bene qui latuit, bene vixit.

*QVemadmodum si quidem omnino gloriari nos oporteat, gloriam ex ijs captare nefas est, quæ facienda non sunt, sed ex ijs dumtaxat, quę vt fiant decet: etenim satius & optabilius est illa non agere, quàm agere. Ad eumdem modum, dolendum vice*

*versa*

*versa non est, quòd inglorij & obscuri sumus, sed quòd iustam aliquam ob causam inglorij delitescamus: etenim tutius est, obscurum latere, quàm in omnium ore & gloria versari.*

*Theodosio.* 306

## Luxum temperantiæ aduersum fugiendum, nec vulgi iudicio res ponderandæ.

*CVm luxus, qui omnis lasciuiæ & intemperantiæ mater & nutrix est, referta mensa & omnigenis obsonijs & cupedijs abundante, spectantium quidem appetitum ad appetendum excitant gustantium verò mentem occulta vi quadam inuadendo, ad aliquid eorum degustandum impellit; tunc quoddam ei parat naufragium, ipsamque profundam cupiditatum & passionum voraginem abreptam demergit. Ab hoc ergo tibi caue, & frugalitatem cole; cùm scias, quod turpe est, numquam id ob quemcumque eorum qui ipsum agunt, cōsensum & conspirationem, imò ne quidem etsi omnes oratores & Sophistę huc neruos suos omnes intendant, fieri bonum & honestum posse: & econtra, quod bonum est, turpe & inhonestum fieri non posse, licet vnus dumtaxat, imò ne vnus quidem, eius amator & sectator inueniatur.*

*niatur. Populi ergo & multitudinis opinione valere iußa, virtutem hanc sectare: nihil non age, & sexcentis res tuas oculis circumspice, ne qua à parte tua proximis noxa damnumue obueniat, omnem scandali radicem exscindendo. Si qui verò eorum, qui & ipsi nihil bonifaciunt, & facientibus etiam inuident, te ita affectum accusent & calumnientur; animum propterea ne contrahas, sed hanc quoque hostis incursionem & insultum generosè perferas, tecum ipse reputans, hac eum aduersus te machina vsum non vt benè munitam vitæ tuæ rationem hac subuertat, sed quòd existimationis et nominis tui decus eum maximopere momordit ac malè habet.*

*Euangelo.* 307

## Dei Opt. Max. erga delinquentes benignitas.

*ETsi tempus nihil agendo transactum difficilè sit reuocare (Cùm enim velocissimè pertranseat & feratur, eos qui peccarunt, ad commißorum rationem recurrere non sinit) diuina tamen benignitas, cùm sit & rationibus & legibus, & temporibus omnibus superior maiorque eos cùm resipiscant in gratiam admittit;*

*mittit; suamque illorũ conatibus intermiscendo bonitatem, ac temporis breuitatem pœnitentiæ intensione temperando, facit vt lapsi et peccantes medicinam opemque inueniant.*

*Isidoro Episcopo.* 308

Syncerè verbum Dei proferendum.

Conf. epist. 293. *QVicumque Diuinas Scripturas, & oracula vel adulterare, vel perperam interpretari ausi sunt, grauiùs peccarint, quàm vt aut excusari, aut veniã cõsequi mereãtur: eo ipso nãque, quòd se sapiẽtius quid excogitasse & adinuenisse opinarentur, partim seipsos partim quoque asseclas suos, in inscitiæ pelagus coniecerunt. Multas enim sacrorũ eloquiorũ sentẽtias peruertẽtes et reÿcientes, cùm & auditores suos eò quò volebãt, traxissent, & velut obtorto collo rapuissent, ab ipsa legislatoris mente & voluntate deuiantes aberrarunt; docueruntque non quæ illi placuere, sed suas ipsorum voluntates & sensa promulgarunt.*

*Arabiano Episcopo.* 309

Dicendi virtutes quæ.

Conf. ep. 145 217. *QVi monitorios & exhortatorios sermones scribit, eum oportet, vt qui illustre quoddam tractat argumentũ (nihil*

*quippe*

*quippe illuſtrius aut clarius, quàm animam quæ à via veritatis aberrauit, in eamdem conari reducere) verbis redundantẽ eſſe, ſi quando exſpatiari, & verboſum eſſe expedit; breui verò tunc demonſtratione vti cùm oportunum id erit; ſuccinctè quoque & neruoſè dicere cùm opus eſt, auditorem premere & ſtringere; diſtinctè autem & explicatè ſua diducere, cum quæ dicenda ſunt, clarè dilucideque dici debẽt. Etenim vix etiam, qui hiſce omnibus ſermonis virtutibus & ſchematibus vtetur animam à paſsionibus ſuis iam abſorptam ex ijs extrahere poterit.*

*Symmachio.* 310

Cœleſtia ſpretis caducis quærenda.

SI, *vti ſcribis, omnes res noſtræ & terrenæ mutationi ſint obnoxiæ, coeleſtes verò ſupra omnem mutationem, & viciſsitudinis penitus expertes; quare ergo, ſapientiſsime vir, illas non contemnis, has verò non quàm promptiſsimè complecteris, & ea quæ dicis reipſa confirmas?*

*Martiniano, Zoſimo, Maroni, Euſtathio.* 311

N*Oſtis, hominem, qui ſemper verum dicit, omnem maledicentiam verò auer-*

*ſatur,*

*ſatur, aduerſus quem nemo queat excipere, veſtram nuper nequitiam carpſiſſe & ſugillaſſe, & his fere verbis. Nequitia ipſa illos peperit, ſceleſti verò & indomiti cacodæmones enutriuere; omnibus quippe bonis tam hominibus, quàm rebus, ſunt inuiſi. Moleſtum & arduum verò id omne reputant, quidquid gloriam per virtutem parit; nam contra pietatis ſtudioſos iuueniliter & petulãter debacchãtur in probos autem inſolentes ſe præbent, vtpote contumelioſi, proterui, pernicioſi, & nullis omnino malis ſatiabiles. Ego verò hæc audiens, nec eum conuincere mendacij, aut os ei oppilare potui (quotquot enim præſentes aderant, & vt vera referenti applaudebant) nec etiam prorſus tacui: ſed dicens illi. Credo equidem fore vt aliquando reſipiſcant, & palinodiam canant: neque enim vſque adeò doloris & ſenſus omnis ſunt expertes, vt id genus malis ad finem vſque inhærere velint; has vobis litteras exarare cœpi. Aequum ergo fuerit vt vobis ipſis attendatis et conſulatis, vt ſi fortè de iudicio Diuino minimè laboretis, hanc ſaltem à vobis infamiam amoliamini.*

Herme-

*Hermesandro Presbytero.* 312

De ficta, & simulata compassione.

QVisquis aliorum se calamitatibus condolere ostendit, & , cùm eas tollere possit, id recusat, apertissimè contra se testatur, & ostendit se alteri verè non condolere, sed benignitatem solùm fingere, cùm suppetias ei non ferat. Si enim, exempli causa, cùm ipse pauperis famem pellere queat ( & sanè eam omnimodò pellere, atque illum à calamitate, se verò à tristitia liberare oportet ) ei se compati fingit; non reuera benignus & humanus est, sed nudam tantùm benignitatis speciem præfert.

*Hieraci viro clarissimo.* 313

De officio Iudicis.

PLerique hominum, vel ob mentis stuporē ac tarditatem, quod iustum & æquum est, inuestigare nequeũt, vel ipsum iam inuestigatum & habitum per se produnt. Nam quia vel effeminatè & ignauè metuunt, vel ipsum ius cauponando vendunt, vel ex amicitia aliquid gratiæ tribuunt, vel denique odio & inimici-

*Conf. epist. 294. & Philonem Hebręũ de Iudice.*

*tia acti sunt, hinc iustam sententiam non pronuntiant. Qui ergo futurus est iudex primùm prudentia & ingenio præditus sit oportet, vt quod sibi agendum est & prædam norit; deinde fortitudine, sinceritate, iustitia, præteritarumque iniuriarum obliuione ornatus, ne quod iam venatus est & cœpit, prodat.*

*Theoni Scholastico.* 314

Tentationes quomodo superentur.

Conf. epist. 39. 68 226. 270.

IS *qui virtutem colit, potest, vir optime, tentationibus omnibus superior euadere & præualere: eas namque superat & elidit, non quòd penitus impediat, quò minùs eæ ipsum impetant (sæpè namque homines ijs Deus probari, & explorari sinit) sed, eò quòd quæcumque deforis accidunt, fortiter ferat. Tentatio quippe est (tametsi indissolubilis videatur) sapientia & virtute, non verò animi desperatione, nobis dissoluēda & elidenda. Virtute verò & sapientia eam dissoluit, non qui eam penitus non sentit, & à se excludit, sed qui casibus incidentibus fortiter ferendis assiduè se assuefacit. Quamuis enim id perdifficile & molestum sit, huic nihilominus is prudentia sua difficultati medetur, quisquis tristia & aduersa mo-*

*ſa moderatè & æquanimiter ferre nouit. Malorum namque quæ externa nec in nobis ſunt, ſanatio & medela eſt ea, quæ intra nos eſt philoſophia; & neceſſariorum malorum diſſolutio & victoria (tametſi ea in ſeipſis diſsolutu & expugnatu impoſsibilia quibuſdam eſſe viſa ſunt) eſt ipſa in rebus aduerſis & grauibus fortitudo, in ſecundis verò & lætis (nam & hæ ſæpiùs probandi cauſa homini dantur) animi celſitas & magnitudo.*

*Eidem.* 315

Diuinum auxilium quomodo implorandum. *Conf. epiſt. 327.*

QVi inuincibilem Dei opem conſequi, & ab eo iuuari cupit ea is petat neceſsè eſt quæ æqua & iuſta ſunt, vt ipſa petitionis conditione & natura, lancem & ſtaterã verſus ſe deuergere faciat, & velut attrahat. Qui enim per ironiam, aut è cupiditate quadam illum implorant, iÿs adeſſe aut opitulari non ſolet is, qui etiam non inuocatus, & ſponte, iniuriam paſsis & oppreſſis ſuccurrit.*

*Primo.* 316

Pij afflictionibus ſemper obnoxij.

*QVod quæſtionis cauſam eſse dicis id me iudice cauſa eiuſdẽ ſoluenda eſt. Si enim*

*eò quòd mundo renuntiaueris, tribulationibus & tentationibus exagiteris, noli mirari. Dixit*
Ioann. 16.33. *enim Christus.* Tribulationem in hoc mundo habebitis. *Quomodò ergo ipso legislatore & certaminis præfecto Christo hoc ipsum asserente, relaxationem & quietem quæris? Porrò, si secus ac is dixit, contingeret, tunc te par esset offendi & scandalizari; at si omnia debito ordine, & ex consequẽti, fiant, quorsum scandalizaris? Nã qui sub ipso certaminis tẽpore, otiũ, relaxamentum & missionem quærit, is certè & non coronatur, & tempora ipsa confundit.*

## *Ophelio Grammatico.* 317

Conf. ep. 9.

### Puerorum ad virtutem verecundiamque informatio.

*ADolescentes disciplinæ tuæ concreditos, vir dilectissime, identidem, & nunquã non ad virtutem ac temperantiam amplectendam cohortare, quin & auctores de iisdem tractantes illis prælege, dicens. Non de solis verbis, & sermone formando, laborandum vobis est, adolescentes, sed & moribus efformandis studete. Anima quippe, quæ à vitiis & improbitate est immunis, puram doctrinam facilè admittit, & qui temperantiam habent, in*

*illis*

*illis pretiosissima virtutum resplendescit. Licèt enim modestia & temperantia dicatur, quidquid peccati est expers; aliqui tamen rectè sentientes, nomen eius & appellationem castitati, quæ reliquarum virtutum & pulcherrima, & præstantissima est, attribuunt. Cum talibus porrò habitat sapientia. Hanc enim virtutem si vt ducem ad reliqua omnia adhibere volueritis, vos quidē in viros probos & felices euadetis, ego verò, per hanc vestri institutionem, non minùs quàm qui vos genuerunt parentes, maiorem gloriam cōsequar.*

*Isidoro Episcopo.* 318

Veritatis laudatio. Mendacij turpitudo.

*ILli sibi, vir sapiens, ignominiam accersunt, & à recta ratione mihi excidisse videntur, qui cùm rectè beneque dictis contradicūt, tum demum sapientes se esse arbitrantur. Porrò veritas sapientiæ est, præsertim cùm simpliciter & succinctè profertur: mendacium è contrà indignum & turpe quid, quamuis elegantia & diserta quadam oratione conuenustatum videatur.*

*Heroni Presbytero.* 319

Conf. ep. 65. 173. 291.

## Aſpectus mulierum periculoſus.

*NOrit hoc prudentia tua, mulierem forma ſuperbientem & ſcitè comptam, ſi ſpectantium oculos in ſe conuertat & prouocet, quamuis nullum fortè ineſcet, non minùs daturam pœnas, quàm ſi quempiam attraxiſſet. Nam venenum illa iam præparauit, potionem miſcuit, et calicem propinauit, etſi defuerit, qui bibere voluerit. Vt plurimum namque de rebus non à fine & effectis, ſed à voluntate & conatibus, iudicium fertur.*

*Eutonio Diacono.* 320

## De Zoſimo cæteriſque qui Dei longanimitate abutebantur.

*SCio, eos dignitates maiores quàm promerentur eſſe conſecutos; ideoque ſe ſecurè & impune poſſe peccare arbitrantes, diuina benignitate & clementia quæ ſupra omnem laudẽ eſt, ſolùm ad peccandum abutuntur eamque ſcelerum ſuorum occaſionem & argumentum ſtatuunt. Quod ne dicere quidem fas eſt. Verùm*

*rùm nos qui rectiùs sentimus; non sic affectos esse oportet, nec in eamdem, in quam illi, proruere insaniam; sed quàm maximè operam dare, vt honori & statui consentaneam vitã agamus, &, quoad eius fieri potest, operibus clarescamus: vt & linguam honestam, & mentem rectè sentientem habentes, eorum qui contra diuinam longanimitatem linguas suas expediunt, ora obturemus.*

*Hieraci Presbytero.* 321

Sacerdoti vitanda scandala.

P*Arem, vir beate, pœnam non dabimus, ante sacerdotium adeptum, & postquam id iam consecuti erimus; sed post illud adeptum, grauiorem. Qui enim ad hanc euecti dignitatem, nihilo facti sunt meliores, hos æquum est grauiùs alijs puniri: ipsa namque dignitatis, & status magnitudo, meritò ipsis grauioris supplicij subeundi fit occasio.*

*Eidem.* 322

Sacerdotum grauiora esse quam laicorum delicta.

Q*Vemadmodum si in naui nautarũ quispiam non rectè partes suas obeat, non*

*multum inde vectoribus, & simul nauigantibus damnum accedit; at si gubernator officio suo desit, commune mortis vniuersis periculum creatur. Pari modo, si subditi peccent, non tantum toti communitati, quantum sibi ipsis detrimentum inferunt; at sacerdotum vitia ad omnes omnino contagione sua proserpunt.*

### *Eidem.* 323

### Sacerdotum est subditorum satagere. Maiorum delicta grauiora.

*SI, bone vir, etiam qui rectè viuunt sacerdotes vix omnes muneris & ministerij sui partes adimplere possint (subditi namque eorum rectè facta, quantumuis illa insignia & egregia sint, tardiùs; lapsus verò & peccata, tametsi exiguos, quàm citissimè animaduertunt) quam putas illos, qui negligenter viuunt, & nullam omnino subditorum suorum curam gerunt, illis qui peccata sua rectorum & superiorũ suorum delictis excusari quodãmodò posse putant, & in omne flagitiorum genus audacter libereque proruunt, improbitatem instillaturos? Sacerdotes ergo quàm maximè in vitam suam inuigilent necesse est, vt qui*

*vt qui non pro seipsis solùm, sed & pro subditis rationem sunt reddituri.*

Zosimo Presbytero. 324

Extremi iudicij terrore à peccatis reuocare conatur.

*DE iniuriarum, ac castigationum, magnitudine homines, è numero eorum qui illas & norunt, & vident, solent iudicare: easdem enim iniurias & supplicia, quæ coram paucis facta sunt, non æquè magna reputant, vt quæ coram multis. Si ergo hæc ita sint, vide, quæso, quo nos modo simus habituri, cùm coram vniuersa hominum multitudine, & Angelorum cœtu, rei sistemur, & pœnas dabimus: præsertim, cùm omnis impudentia & inuerecundia locum ibi non sit habitura, peccatis nos ad instar vmbræ comitantibus.*

*Paulo.* 325

De bonorum præmio, pœnaque improborum.

*SI quando homines quempiam aut castigare, aut præmio afficere volunt non semper quod eo in genere facere volunt, reipsa efficere possunt*

*possunt: sed in diuina iustitia, cùm aliquem ea aut punire cogitur, aut remunerari vult (cùm in eo potestas voluntati non cedat, nec inferior sit) vtrumque locum habebit, & per omnia executioni mandabitur; alios namque is puniet, alios verò præmio afficiet.*

*Martiniano, Zosimo, & Maroni.* 326

## Boni neminem calumniantur, sed ipsi obnoxij. Mali à calumnia cur liberi?

*TAmetsi, quod dicturus sum, peregrinum & mirum vobis videndum sit, nihilominus id dicam: nimirum virum probum calumnijs alium non impetere & improbum ijs non impeti. Si, quod dico, ænigma vobis & obscurum videatur, ipsum clariùs exponam. Vir bonus, tametsi quid, vel ex odio mali, vel quòd alium corrigere gestiat liberè proferat, nequaquam calumniatur; neque enim falsa comminiscitur, sed quod verùm est, loquitur. Improbus contrà, calumnia non proscinditur: licèt enim calumnia falsa quædam sit fictio & commentum, hic tamen quod verum est audit.*

Eisdem.

Eiſdem. 327

Deus facientibus quod oportet auxiliũ fert.

*OMnes illis opitulari & cooperari ſatagunt, quos animum & alacrem quamdam ad ea quæ fieri debent, facienda habere propenſionem vident: ſocordes enim ignauos, propriæque ſalutis incurios, iure merito ne alloquio quidem dignantur. Quare, cùm hæc ita ſint, mirum certè non eſt, diuinum nutum non æqualiter in omnes propendere; ſed ſuam ipſorum ſalutem è negligentia quadam prodigentes & decoquentes pertranſiendo, eos ſolùm iuuare et auxiliari, qui quæ fieri oportet, prius apud ſe seriò proponunt.*

Sereno Diacono. 328

Modeſtia vitæ commendata in omnibus.

*VIrtutis cultorem ſuperuacua omnia reſecare opus eſt: neque enim in cibo ſolùm, ſed & in veſtitu, domo, ſupellectile, atque adeò rebus alijs, id ſolùm quod ſatis ſit, habendum eſt, nec frugalitatis modeſtiæque limites vllatenus excedendi. Quid enim, ſi ieiunes quidem, opibus verò colligendis intendas; vel ſi pecu-*

*pecunias negligas, interea domum ampliorem, quàm vsus necessarius requirat, habere velis? quid etiam, si mediocribus quidē ædibus vtaris, veste verò nimis exquisita superbias? mediocritas namque & modestia, cùm in verbis, habitu, voce, tum in aspectu & incessu ipsa seruanda est, multi enim tametsi à rebus & opibus sint inopes, splendidis quoque ædibus & vestibus careant, talem tamen in incessu præferunt molliciem, vt omnibus se ridiculos præbeant.*

*Zosimo Presbytero.* 329

Conf. lib. 1. ep. 15. lib. 4. 124. 140.

Animi corporisque comparatio: illius imperio huius seruitio vtimur. Vitæ breuitas vigilare iubet.

M*Vndus tandem ad finem vergit: neque enim Veritas ipsa mentitur, dum aliquando futuram consummationem prænuntiauit: etsi verò illa quibusdā adhuc longiùs abesse videatur; vnicuique tamen hominū tempus ipsum quotidie deperit, terminatur, & ad finē tendit. Senum enim exitus & finis, certus est; iuuenum verò vita, incerta. Nam cùm vita nihil planè certi & præstituti habeat, sed mors omnem ætatem rapiat, omnes vigilare, & id*

*quod certò ſemel futurum eſt, expectare oportet. At nos omnia potiùs, quam hoc ipſum, expectamus: nam incerta, & non ſperabilia, ſingulis horis ſomniamus & ſperamus; quod verò omnino futurum eſt, & ſæpè valdè inſtans, ne cogitare quidem volumus. Sed cùm quoad corpus hoc mortales & caduci ſimus, cogitamus velut immortales; animam verò, quæ immortalis eſt, negligimus, aut potiùs ne animam quidem nos habere arbitramur; cumque corpus, quod morti obnoxium eſt, immortale eſſe credamus, omnem noſtram in illo curando curam exhaurimus & impendimus. Ecqua igitur nobis erit venia, illam quæ immortalis eſt, morte damnantibus; quod verò mortale eſt, omni honore afficientibus; illam offendentibus ac violãtibus, quò hoc exornemus; illam fame macerantibus, vt hoc laſciuire & delicijs poſſit indulgere? Animæ namque primariam & potiorem, corpori verò ſecundariã impendere curam oportet: neque enim hoc illi aduerſatur, ſed eiuſdem velut inſtrumentũ & cithara eſt: curam quippe modicã id requirit, non inutilem delectationem & voluptatẽ; alimenta, non delicias; ſufficientiã, non abundantiam. Animæ ſiquidem non tam aduerſarius, quàm auxiliator & ſubſidiator ſit oportet.*

Marcia-

*Marciano Presbytero.* 330

Inueteratæ opiniones hominum quomodo euertendæ.

*QVi inolitam, & vsu longo corroboratam opinionem, quæque ab eo qui malè opinatur, vt bona & honesta reputatur, subuertere & refutare volet (quod enim valde nouum & insolens est, nō facilè sine insinuationibus quibusdam, & occultis animi præparationibus à quoquam admittetur) non statim illa quæ ei directè contraria sunt, proferre debebit (Omnium quippe se ludibrio & risibus exponet, & ab ijs qui contrariam sententiam sequuntur, & ab ea præcepti sunt sugillabitur) Sed priùs per alia multa, artificiosè & occultè, velut actis cuniculis, priorem subuertere, ac tum ad aliam stabiliendam transire. Hac enim ratione à suis auditoribus admittetur, et quod volet, ijs persuadebit.*

*Alexandro Poetæ.* 331

Cur Socrates gratias virgines nudas finxerit.

*MIror equidem, quomodo nonnulli (in quorum numero vereor ne & ipse sis) cùm*

cùm ſæpè, quà ſcribendo, quà ſculpendo, alijs poſsint prodeſſe, hoc ne cogitent quidem, imò verò illos etiam lædere & offendere ſatagant. Socrates & modeſtiſsimus & ſapientiſsimus vir fuit (nam hoc Plato, Aeſchines, Xenophon, & Euripides de eo aſſeruerunt: Ariſtophani quippe minimè credendum nec aſſentiendum eſt, vtpote qui nihil æquè calluit ac cuilibet paſsim maledicere, & præceptorem ſuum mordaciter ſugillauit, fortaſſe quòd eum ad philoſophiæ animum applicandum ſit cohortatus) hic porrò iuſſit, vt gratiæ nudæ, ſicut vos dicitis, & virgines ſculperentur. Fecit autem hoc, non tam vt iuuenes (vti tute exiſtimas) ad libidinem & intemperantiam hac nuditate prouocaret, quàm vt naturam ipſarum (nam & in his mirè excelluit, & dexter fuit) per ſtatuas & imagines denotaret. Quòd enim plerique, ob lucrum, ob mercedem, ob amicitiam, ob gloriam, vel ob aliud quippiam, gratias & munera conferunt; voluit ſpectantibus (vt equidem credo) repræſentare, eſſe beneficia, ceu virgines, & ab omni lucri cõmiſtione aliena, omnis quoque tegumenti & veſtis expertia, conferenda; vt nonniſi ipſum honeſtum ſpectando ſolis indigentibus munus cõferatur, nec compenſationem aut gloriam ex eo captando,

acci-

*accipientium calamitates, & miseriæ adaugeantur.*

*Cyro Monacho.* 332

## Beneficium qui accipit, libertatem vendit.

INexplebilem illorum cupiditatem, et seruilem animum demiror, qui semper quidem beneficium ab alio petunt, nulli verò benefaciunt; & illiberabilis & insatiabilis animæ signum hoc eße, existimo. Beneficium namque & gratia, accipientes in seruituti obnoxiam humilitatem conijcere, conferentes verò liberos & velut ingenuos reddere solet. Liberũ quippe & ingenuum est, alijs beneficium conferre; seruile autem, eum qui id accipit, semper ob illud velut seruituti obnoxium manere. Necesse namque est, eum qui per beneficium acceptũ seruituti obnoxius est, perinde ac si graue capiti pondus impositum haberet, priùs animum non attollere & erigere, nec benefactorem suũ ex æquo intueri, quam debitum dißoluerit. Nõ hæc eò dico, quòd velim, eos qui verè egeni sunt beneficium ab alijs non petere; vel consulam, vt qui tempestatibus et procellis exagitantur, in portum se non recipiant; vel vt culpem eos, qui benefactoribus opere ipso paria rependere nequeunt.

*nequeunt. Absit: neque item vt eos qui opere non possunt cogam saltem verbo gratias referre & agere. Licet enim beneficia conferentem dationis suæ ac factæ gratiæ obliuisci, accipiẽtem verò illius semper oporteat recordari; non hoc tamen nunc ago: verùm eos tantùm hic reprehendo, qui cùm nulla re opus habeant, ex habendi tamen quadã cupiditate semper quid accipere student, nihil autem alijs dare volũt. Absurdum namque non est, eos qui verè inopia laborant, aliquid petere; at eos qui et dare alijs possunt, postulare quid longè absurdissimum. Bis namque hi grauissimè peccant: primò, quòd ex inexplebili sua cupiditate quid postulant; secundò, quia de facto egenis ipsam benignitatis ianuam occludunt: malè enim sibi capiunt, & applicant, quæ honestè & bene alijs dari oportebat.*

*Palladio Diacono.* 333

In beneficijs dandis laudanda & voluntas.

B*Enefici non ob eà modò quæ potuere, sed & ob ea quæ voluerunt quidem, sed minimè potuerunt, laudandi sunt; & gratia ijs habenda, ob hæc ipsa etiam quæ facere voluerunt; nõ culpandi verò, quia non potuerunt. Qui enim*

*non iuxta intentionem, sed ex euentu res diiudicat, imperitus certè est, & naturæ rerum parum gnarus, vtpote quæ cum ipsa voluntate per omnia non consentit, sed interdum quoque ei aduersatur.*

*Agathodæmoni Grammatico.* 334

Tarda etiam ingenia discendo processum faciunt. Non ex quouis ligno fit Mercurius.

*INstitutio ingeniosum facit eccellentem & egregium; tardum verò & hebetem, seipso quodammodo reddit meliorem. Quemadmodũ enim non omnes qui in gymnasiis athleticis exercentur, & instituuntur perfecti athletæ fiunt; ita nec omnes qui litterarium ludum frequentant, oratores euadunt. Cùm enim vel ad summum ingenium, vel vires corporales ipsa accedit exercitatio & cura, discipulos ea perficit; at, si hæc neque vires ac robur, neque ingenij promptitudinem reperiat, aliorum quidem animos & mentes, aliorum verò corpora exercet, non tamen eximios & eminentes in suo quemque genere eos reddit.*

*Isidoro Episcopo.* 335

Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis.

*CVm non sine ratione diuinam virtutem inimitabilem, & ad quam assequendam viribus nostris pertingere non possimus, esse existimes, mirari te scribis, quomodo nos Saluator noster. Patrem suum ac seipsum imitari iubeat. Equidem respondeo, iure optimo ab ijs quæ maiora sunt, ipsa rerum exempla & demonstrationes sumi, vt saltem quod minus est, faciamus. Licet enim Domini virtus inimitabilis sit, tamen cùm pro viribus & facultate nostra eam imitari conabimur, eam in aliquo imitabimur. Quemadmodum enim ij qui pueros scribendi artem edocent, stylo accepto, ijs quàm pulcherrimos & scitissimos characteres præscribunt, vt hi eos vel imperfecto quodam modo imitentur: consimili modo diuina gratia quædam nobis virtutis exempla et formas proposuit, vt illa ceu quid, quod conatu nostro consequi possumus, imitemur. Quamobrem, si fortè ea summo quodam & perfecto modo imitari non valeamus, nos id deterrere & auocare minimè debet, quo minùs ipsum ad quod pertingere possumus, imitemur; sed hoc vel*

Matth. 5.48.

maximum & præcipuum nobis videatur, quòd ad diuinam imaginem vel ex parte & aliquatenus imitandam admittamur.

Gemadio. 336

## Vulgi iudicium contemnendum.

ETsi, quod dicturus sum, paradoxon tibi et nouum videbitur, nihilominus dicam. Dico ergo, vanam gloriationem ab animo abiecto & vili; contrà verò, laudum neglectum & contemptum, à magnanimo & generoso, ne dicam supernaturali, ortum habere. Illa namque laudem hominum, ad instar fœni marcescentẽ, suspicit, hic verò auersatur & repudiat: illa errantem, & turpiter deceptam vulgi opinionem, maximum quid esse reputat, hic vilissimum. Si ergo hæc ita se habeant, percontari te lubet, & compellare. Quo vulgus, quod de virtute nihil omnino laborat, nec eam curat, apud te loco sit? certum est, id à te ceu excors, & nullius omnino pretij reputari. Vti enim illud de virtute sentit, sic & de illo sapientes æquum est sentire. Elige ergo; neque enim de illorum mihi esse numero videris. Quomodo ergo, non miserrimum, aut potiùs non ridiculum sit, horum te gloriam sectari, quibus nolis similis es-

*lis eſſe? Si dicas, multitudinem, cùm eiuſdem omnes ſunt opinionis & ſenſus, laudabile quid & fide dignum ſentire poſſe; id dicis, ob quod deſpici eos oporteat: qui enim per ſe ſinguli contemni merẽtur, multo magis, cùm numero plures erunt, & in vna re conſentientes; etenim vniuſcuiuſque amentia, cùm ſimul in vnum collecta eſt, per multitudinem increſcit, & fit maior. Quapropter ſiquis eorum ſingulos aliquando emendare & corrigere aggrediatur, forſan aliquid præſtet; vt verò ſimul omnes, nihil penitus, quòd inſania magis increſcat, & mutuis opinionibus foueatur, & valẽtior fiat.*

*Eidem.* 337

## Adhuc de gloriæ verè ſtudioſo.

*GLoriæ ſtudioſus, non eſt idem qui ambitioſus et inanis gloriæ ſectator: ille namque e virtutis exercitio, non ita hic gloriam quærit: ille opinionem ſibi competentem, hic nequaquam competentem ſectatur: ille proprio decore & ornamento pulchreſcit, hic alieno cõmendari vult: ille proprijs & ſuis theſauris ſe iactat & extollit, hic nullatenus ad ſe ſpectantibus: ille quidem iuſtè, at hic iniuſtè honorari*

 geſtit.

*gestit. Primus ergo, tametsi perfectus non sit (oportet namque virtutem exercere, gloriam tamen non appetere) altero tamen melior est; & tanto eo plus habet, & excellentior est, quãto ipse perfecto minùs habet et inferior est. Imò verò (si accuratiùs meliusque loquendum) qui nihil quidem vmquam fecit boni, gloriam tamen sibi captat quasi aliquid fecerit, ne conferri quidem & pariari cum hoc meretur; sed hic bene comparatur illi qui & bonum egit & postquam egerit, gloriam inde resultantem contempsit.*

*Eidem.* 338

Rursum de gloriæ studio, & magnificentia.

G*Enerositas non est, vt tu quidẽ autumas, ipsa ambitio & honoris appetentia: illa namque aspera omnia difficiliaque generosè, quæque alios tumidos reddunt, fert moderatè; hæc autem solam gloriam spectat: illa seipsa contenta est, etiam nemine laudante, hæc autẽ si laudatores non habeat, nihil boni facit: illa esse, hæc videri optima vult: illa bonum propter se, hæc propter honorem complectitur: illa alijs benefacit quòd beneficentiam maximum esse bonum existimet, hæc verò ex sola gloria*

*alterius*

*alterius miseretur. Quanto igitur bonum propter se, & sui ipsius causa agens, potior est eo qui illud quidem facit, sed solo compensationis & mercedis intuitu; tanto etiam generositas & magnanimitas ambitione potior est, licet eadem omnino facere videatur.*

*Sereno Tribuno.* 339

Humilitati danda est opera.

SI *omnia, quæ diuinæ puræque illi naturæ attribuuntur, nomina ipsam conditionis humanæ mensurã & terminos longè transcendant in eo certè, quod naturæ nostræ consentaneum, & in quo possumus, Deum nos maximè decet imitari. Ecquid autem est illud? Humilis de nobis ipsis sensus, & Humilitas. Quid enim huic simile habemus, quod nos etiam arrogantes potest reddere, & iactabundos? Vt quidem Patriarcha Abraham dicit*, terra & cinis sumus; *vt Legislator Moses*, puluis; *vt Psalmista, modò* vermis, *modò* fœnum; *vt vas verò electionis Paulus* miseria: *nam ob quæ se is miserum prædicat ob ea vniuersum humanum genus miserum esse pronuntiauit. Cur igitur in eo quòd ex naturæ necessitate sumus, non imitabimur eum, qui cùm in forma Dei esset,* Genes. 18. 17. Psalm. 21. 7. Psalm. 102. 5. & 15. Rom. 7. 24. Phil. 2. 6.

*ſemetipſum exinaniuit, & humiliauit? Omnẽ itaque qui contra & præter naturam noſtram eſt, faſtum & ſuperbiam repudiantes, humilitatem, vtpote naturæ noſtræ coexiſtentem, eique congenerem & propriam, exerceamus.*

*Marciano.* 340

Conf. epiſt. 290.

## Adhortatio qualis eſſe debeat.

PErdifficile mihi videtur, eum qui quempiam ea quæ fieri non debent, facientem commonet, in indecora, & nõ conſentanea, verba minimè incidere. Quæ enim nefas eſt facere, ea & nefas dicere. Quid facto igitur opus? Si enim grauia & magniloqua dicendo attuleris, eum qui dictorum reus & culpabilis eſt, ſic perſtringere non poteris; ſi verò vehementiùs inſurgere volueris, neceſſe te tunc erit omnem ornatum deponere, & velamento ſublato ſimpliciter procedere. Vnde laudatur qui dixit. Vereor ne ſi conuenientia de te dicam, ea quæ mihi ipſi minimè conueniant, dicam. Via ergo quadam media incedendum eſt, qua nec ſibi ipſi dicens & commonens infamiam creet, dicendo quæ non oportet; nec alteri quem cùm monet aliquod incommodum adferat.

*Hermino Comiti.* 341

Boni inuidiæ obnoxij.

Conf. epist. 294. 298.

*MVlti ei inuidere solent qui virtute quàm maximè inclarescit: rati namq; eum, qui nō eadem quæ ipsi faciat, sed honestissimis et optimis dotibus ac prærogatiuis sit insignitus grauem & intolerabilem esse, tamquā si ipsorum is vitam tacitè carperet sua, maledictis eum atque insidijs identidem petunt, quē tamen & imitari & collaudare par erat.*

*Andromacho Comiti.* 342

Religio non contemnenda propter flagitiosam quorundam vitam.

*NOn possum non tuam vesaniam & stultitiam mirari, quòd de diuina nostra religione nō iuxta id quod ipsa in se est sententiam ferat & opinetur, sed ob prauos ac peruersos nonnullorū mores illam sugillet & malè habeat. Quid enim ipsa deliquit, si Zosimus, Maron, Eustathius (vti tute scribis) non audenda audentes, gloriantes verò in ijs ob quæ pudore potiùs eos suffundi & erubescere par esset; omnesq; qui ob flagitia aliquādo nobiles et celebres fuere, suis flagitijs superātes, & qui ne*

*in laicorum quidem multitudine numerari & censeri deberent, inter clericos appareant? Cur nō potiùs, à bonis et rectè viuẽtibus illā deprędicas, quàm ob prauè & dedecorosè viuentes calumniaris? certè speciosam quamdam inuenisse tibi socordiā & prætextum videris, quòd propter illos viros impediri te dicas, quo minùs diuinissimæ te philosophiæ applices. Porro, si ob & iuxta illustres ac præclaros viros, de ea sententiam ferre nolis; saltem rem in se considera & pensa; & tantas & tot eam laudes videbis promereri, vt & disertissimos oratores, mutos velut reddat, si illius velint laudes & encomia contexere. Maior namque ipsa est, quàm vt verbis eam quis complectatur. At, si nec ipsam in se explorare, nec ob illustres & probos cultores eius pro ea sententiam ferre velis, sed ob præuaricātes quosdam ei obtrectare præsumas, certè nec iustè, nec conuenienter feceris. Verùm si ipsam admittendo & approbando, ea indebito modo, & non rectè vtentibus indigneris & aduersus illos insurgas; certè rectè sentientis, sapientis, & prudentis viri nomen consequeris, quòd ipsa præuaricantium peccata contra diuinam iustamque rem minimè torqueas, nec ob illegitimè illam vsurpantium insaniam, in eam insurgas.*

Theo-

*Theodoro Scholastico.* 343

Aduersitates bonis pijsque maiorem gloriam pariunt.

PEr eorum, qui in calamitates incidunt, virtutes solent ipsorum mala & passiones duplicari & grauiores videri, quòd enim alia longè perpessi sint; quàm factis suis pati meruerint, hinc id audientes maximopere contristantur & condolent. Hinc fit, vt & tragædiæ ad commiseratione͂ spectatores excitent, cùm viros probos indigna & grauia passos in scenam producunt. Sed hæc quidem sic apud illos se habeant qui res humanas nonnisi eatenus metiendas putant, nec vlteriùs animi oculum dirigunt: nesciunt enim ob illa se dolere, ob quæ par eos esset gaudere. Nos verò, qui aliud quoddam vitæ genus mentis oculo iure merito respicimus, scimus & exploratum habemus, virtutis sectatores, si quid aduersi patiantur, nõ tam commiseratione, quàm faustis acclamationibus & præconijs prosequendos. Nam illustriores & insigniores boni nominis & famæ coronæ ijs propterea præparantur.

*Asclepio*

*Asclepio Sophistæ.* 344

De sophistica oratione liberè iudicat.

*QVam ad me orationem misisti, legi: cuius elegantia in eo enituit & admirabilis fuit, quòd quasi eam per modum consulentis conscripseris, adulationem artificiosè texeris. Cùm enim adulationem quamdã spiret ac redoleat, magnates & potentes dilaudare, aliud certè argumentum mente concepisti, & aliud scribẽdo tractasti. Nam cùm causam indicare velles, ob quam ille imperio & regimine dignus esset plenum absolùtumque encomium & laudationem illius contexuisti. Intentionem ergo & propositum tuum non probauimus, sed artem suspeximus.*

*Danieli Presbytero.* 345

*Conf. lib. 3. epist. 206.* Quid in Euangelio sit regnum Dei, & regnum cœlorum.

*QVia scire voluisti, quid sit regnum Dei, & quid regnum cœlorum; respõdeo nonnullos in ea esse sententia, vt regnum Dei maius quid sit & diuinius; cœlorum verò, minus & illo imperfectius: alios verò sentire, vnum & idem substantia & essentia esse regnum; sed differenter & diuersimodè id nominari,*

*minari, & modò à Deo qui illic regnat, modò ab Angelis & sanctis hominibus, quibus imperat vocitari.*

*Zosimo Presbytero.* 346

Ad bonam mentem inuitat à libidine.

T*Ametsi, ab illis, quorū nuperrimè, apertè conuictus, pœnas dedisti, adeò non abstineas, vt etiam deteriùs ægrotare & laborare, rursus appareas; si tamen huic insaniæ finem imponas, breui sanitati restitueris. Porrò, si graue tibi & molestum videatur, à vitio & maleagendo abstinere, ipsam supplicij punitionisque magnitudinem ac grauitatem grauius quid esse existima: si verò minimè hic te castigandum putes, in mentem tibi saltem veniant qui in altero mundo cruciabuntur: si denique, nec illis credas, considera eos, qui etiam in hac vita, & sunt puniti olim, & postea adhuc punientur, itaque è libidinis barathro emergito.*

*Alypio Episcopo.* 347

Ἀπόνοια vnde dicta & νεγεσία. Conf.

epist.

C*Vm* ἀπόνοια [ideſt amentia] *quæ & à debito modo, & eo quod oportet deflectit, et* 286.

ἀπὸ [ ideſt procul ] τοῦ νοῦ [ideſt] à mente ]

*est ( vnde &* ἀπόνοια Græcis *dicitur) arrogan-*

*tiam*

*tiam & ſuperbiam operetur ac pariat;* νουθεσία *[ideſt admonitio] adhibenda eſt, quæ* παρὰ τὴν τοῦ νοῦ θέσιν *[ideſt à mentis poſitione] dicitur. Forſitan, qui tales ſunt monitorem audientes, à ſuperbia ad humilitatem animum facili negotio tranſtulerint.*

*Harpocræ Sophiſtæ.* 348

## De docentis officio.

Conf. epiſt. 213. 233. 263. 265. 290.

*DIſcipulis præfractis & petulantibus, ceu equis necdum domitis, timoris frænum inijce ſophiſta; & cùm inſolens quid & præter rationis ductum ac præſcriptum agunt, eos velut capiſtro compeſce, vt facilè ducibiles, ac frænis parentes, ad virtutem magis incumbant. Abſurdiſſimum quippe eſt, ac virtutis exercendæ quoddam impedimentum, non eadem facientes ijſdem præmijs affici. Nam qui ad puſillanimitatem præſtantiſſimos quoſque inducit, eorum animos hac ratione facit obtorpeſcere. Itaque magis morum, quàm ſermonum & eloquentiæ, doctorem atque inſtitutorem te eſſe ratus, tuam ipſis vitam velut archetypum quoddam exemplar præpone. Neque enim tantum ſermo & verba, quantum vita, ad virtutem alium ducit.*

*Eidem.*

*Eidem.* 349

Erubeſcit laudatus humilis.

*QVòd ad auditas laudes ſoleam erubeſcere, probè tua nouit prudentia. Dum enim vnà cum diſcipulis tuis mihi es occurrere dignatus, & me è Sacris Litteris quidpiam voluiſti interrogare, ego verò prout quidem potui, tibi reſpondi; tum à vobis eſt applauſus et laudationis ſtrepitus excitatus. Ego verò hæc audiens, ita ſum perculſus, ruboreque ſuffuſus, vt multo tempore obmutuerim. Quorſum ergo laudes, quæ longè merita & dignitatem noſtram tranſcendunt, de facto compoſitas mihi miſiſti?*

*Eutonio.* 350

Corporis animique pulchritudo aduerſis non extinguitur.

*QVemadmodum corporea pulchritudo ne perturbatione quidem ac perterrefactione immutatur, imò verò integra manet, etſi vel aſſiduis in lachrymis agat: pari modo & animæ pulchritudo, è virtutum apta collectione & proportione cõflata, ſeipſam, quã-*

*uis inter calamitates identidem verſetur, integram conſeruat. Hanc igitur colamus, & nulla nos tentatio, inſuperabili Dei dextera ducaliter nobis auxiliante, expugnabit aut præualebit.*

*Harpocræ Sophiſtæ.* 351

Humilitate cæteris præſtandum.

Conf. epiſt. 127. 339. 349.

D*Vobus fratribus fidelibus, meque maximè diligentibus, ac de virtute inuicem contendentibus, aliquando me iudicem eligentibus, ac iureiurando aſſeuerantibus, ſe eo quod iudicaretur ſtaturos, illum cenſui primas tenere, qui quoad cætera fratri ſuo æqualis cùm ſit, in humili tamen de ſeipſo ſenſu antecedit & primas fert.*

*Heroni.* 352

Parenti merito parendum.

P*Arentem tuum in his, in quibus tibi imperandi ius habet, te commonentem reuerere, ſimulque in viam virtutis ipſe redi, ne proprijs & domeſticis illum armis vti cogas: nam expugnatu ille difficilis eſt, qui à natura ſimul & legibus eſt armatus. Porrò, ſi lenitate is ſua perſuadere non poſſit, poteſtatem paternam haud dubiè adhibebit.*

*Eidem.*

*Eidem.* 353

Leges formidandæ.

SI *naturam minimè verearis saltem vererere leges; ne & in Diuina simul & humana pecces.*

*Ausonio.* 354

Ab effectu res iudicantur.

VT *qui vlcisci quidem vult, at non potest perinde est ac si de facto vltus esset: ita qui remunerari alium vult, nec tamen potest, iam reuera remuneratus est. Nam & hic præstitit, quidquid in se est; cùm enim non semper facultas voluntati respondeat, res ab ipsa intentione & animo diiudicandæ sunt.*

*Vrsenophio Lectori.* 355

Virtus etsi hic præconio careat, præmium tamen gloriamque in futuro sæculo habebit.

TAmetsi *qui nunc viuunt homines, hac in vita multa talia, quin & magis admiranda, faciunt, qualia antiqui, non tamen*

*eamdem gloriam mortui referunt (nam vel ob præconum & celebrantium imbecillitatem, vel inuidiam, vel raritatem, inferiores illis esse & cedere videntur) in altera tamen tantam referent, quantam referre par est eos, qui honestè & gloriosè vixerunt, sed ingloriam mortem habuerunt.*

*Hermino, Dorotheo, Hieraci viris clarissimis.* 356

Conf. epist. 535. De Dei longanimitate in malis tolerandis.

*NOlite, viri boni, diuinam prouidentiam incusare, quòd Zosimum, etsi nō iusserit, non prohibuerit tamen, sacerdotio initiari: sed eiusdem potiùs longanimitatem admiremini, quæ post paulò, nisi is resipuerit, tantas ab eo pœnas reposcet, vt qui nunc eam incusant, sinceram & incorruptam eius sententiam & iudicium sint deprædicaturi.*

*Iisdem.* 357

De eadem re.

*NOn est idē, mandare, & nō prohibere, vti nec ordinare, & ordinari permittere: illud enim, tamquam quod omnino oportet fieri,*

*fieri*

*fieri iubetur; hoc verè, propter liberi arbitrij electionem quam humanum genus habet, tantùm permittitur. Nolite ergo, ijs qui sacerdotia nundinantur, parcendo, eum qui hoc permittit, incusare & carpere. Si enim dignitas hæc rationibus postea reddendis non esset obnoxia non immeritò forsan indignaremini; at si, qui ipsam dispensat & administrat, tantas deinde persoluet pœnas, quantum hic habuit honoris, deplorandus is certè est, quòd diuinam longanimitatem peccandi sibi occasionem & instrumentum fecerit.*

*Zosimo Presbytero.* 358

Bonorum virorum acerbiores reprehensiones, non iniquè ferendas. Conf. epist. 378. 448. 466.

*NOli indignari, etsi nuper omni laude maior Hermogenes Episcopus, æquo tibi grauior & onerosior visus sit, dum mordaciore & acerbiore te oratione perstrinxit, & longã aduersus ignauiam tuam accusationem contexuit. Si enim vnum hoc illi propositum fuisset, nimirum te peccata, & scandala tua altius proclamando & magis euulgando contristare, meritò indignareris. At si solam tuam vtilitatem & bonum spectans, ad verborum*

*elegantiam & gratiam non attendit, sed eam velut inoportunam hic & noxiam præteriijt, quò res ipsæ meliùs caderent & quadrarent; æquum certè est, te etsi beneuolentiam illius & affectum bonam in partem accipere nolis, tali tamen amori ac dilectioni paternæ ignoscere. Etenim maximopere is timuit, ne apud diuinam prouidentiam, quæ tuam ob ignauiam & improbitatem adeò malè passim audit, hoc ipse nomine castigaretur, quòd tam enormibus et tragicis flagitijs in populum sparsis ac famanotis, suum ipse os aperire ausus non fuerit. Quamobrem vel hæc ipse patrare cessa, vel tuam deplorantes infamiam accusare noli.*

Conf. epist. 378. 408. 466.

*Iacobo Lectori.* 359

Deum non mutari, è sacris ostensum litteris.

*INcorrupta & insuperabilis Dei dextera, non mutatur, at semper vna eademque est, & eodem modo se habet; nam neque in melius excrescit (Est namque suprema & summa virtus) neque in deterius decrescit, aut demutatur (nam hoc fieri omnino non potest) sed ea mutat & alterat, quæ melioratione opus habent. Vnde & Psalmus quidam sic inscriptus est. PRO IIS QVI COMMVTABVNTVR,* Psalm. 44. 59. 68. 79.

*hoc*

*hoc est, ijs qui meliorationem accipient & in melius quid transibunt. Si hæc ergo ita sint, non est certè vsque adeò difficile quod discere voluisti, quid nimirũ sit.* Hæc mutatio dexteræ Excelsi. *Nõ quòd ipsa mutetur; est namque immutabilis, & longè supra omnem mutationem. Nam ait.* Videte, videte, quia ego sum, & non mutor: *sed quòd mutet, alteret, melioret, & meliorem in statum eos qui illo opus habent, traducat.*

1. Reg. 20.13.

Psalm. 76.11.

Malach. 3.6.

*Eulogio.* 360

In loquendo, & scribendo modus adhibendus.

SI *plura quàm necesse sit loqui, non est viri; certè plus scribere quàm oporteat esset mulieris. Ergo & in loquendo, & in scribendo debitum modum seruemus.*

*Serapioni.* 361

Amicitiæ improbi renunciat.

NOli *putare, me siquid absurdi & inepti commiseris, id toleraturum; sed contrà velim existimes, me per omnia, quæ officij mei sunt facturum, teque ex amicorum cœtu ac numero etiam exterminaturum.*

Epiphanio Diacono. 362

Bonis aduersa pati laudi ducendum, malis dedecori.

*QVi ob scelera sua castigatur, erubescere; qui verò ob virtutem, gloriari debet: non enim eadem illos de se sentire oportet, causa & occasione, ob quam patiuntur,*
1. Pet. 4. 15. *plurimùm discrepante. Neque enim quamuis latro et Martyr eadem omnino patiantur tormenta, eodem modo hæc ijs cedent: illi enim tormẽta commissorum castigatio sunt, huic verò, coronarum occasio. Vnde patiendo ille se miserum, hic verò beatum reputare debet.*

Eidem. 363

*NOn eodem modo se habeant oportet, qui iustè ac meritò, & qui iniustè, hoc in mundo tristia & aspera patitur: illi enim hæc, ob commissa, huic verò ad probationem*
Iudith. 8. 27. *obueniunt. Vnde ille, meritò dicere queat.* Non pro peccatis dignè satis flagellor: *hic verò.*
Rom. 8. 18. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. *Ille enim siquidem æquanimiter & patienter ea ferat, peccata sua hac ratione delet & expiat; hic autem si generosè & viriliter, illustriores habebit coronas.*

*Petro*

*Petro Monacho.* 364

Gratulatur de afflictionibus, & docet quomodo eæ superandæ.

*ILlustre sanè certaminum principium habuisti; vnde etiam hic exultamus, & magno gaudio perfundimur, hancque gloriam & famam tuam deprædicamus, & oratione celebramus. Aduigilare porrò & operam dare debes, vt finem illustriorē clarioremque habeas: hunc autem habebis, si,* quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ priora sunt teipsum extendas; *nec, iam brauium assecutum te esse, existimans, à laborando cesses. Etenim multi, cùm egregiè incepissent, sed deinde præ negligentia obtorpuissent, tandem turpiter retrocesserunt. Quod Deus malum à sacro tuo capite amoliatur.* Phil. 3. 13.

*Lamprepio Diacono.* 365

Seueritas iudicij pro peccatorum qualitate.

*SVmmus Dei iudicis est rigor & exacta eius inquisitio, vtpote qui in verba, & facta, & cogitata seriò inquirit, ad intima vsque cordis adepta penetrat, & nihil non perscrutando rimatur: summa verò ex opposito nostra est iniuria, qui tamen certò scimus,*

*omnino nos pœnā daturos, etsi non omnes eamdem. Neque enim, qui eadem peccata commiserunt, eodem omnes modo castigabuntur, cùm & causæ, & tempora, & loca criminum examinanda sint. Verbi gratia: Cædes & homicidium, execrabile scelus est. Quis neget? cùm tamen festis ea diebus patratur, fit execrabilius; cùm in loco sacro; execrabilissimum, & maximè horrendum; ipso malo à temporis, & loci circumstantia, deteriore reddito, & grauiorem exinde castigationem promerente. Sic &* Phil. 3. 13. *fornicationem, esto omnis vna & eadem in se esse videatur, tempus tamen & locus grauant. Vnum ergo curemus, quomodo nimirum quæ nostra sunt rite componamus. Iudici verò Deo accuratam rerum explorationem, inquisitionemque committamus. Neque enim esto nos hic quidquam definiamus, & determinemus id ipse ratum habebit aut confirmabit, sed necesse non est incorruptam eius sententiam ac iudicium patientes exspectare.*

*Hypatio.* 366

Virtus post sudores gaudium, & coronam parit cœlestem.

H*Abet virtus purā gloriosam, & immortalem delectationem, quam bona parit* *con-*

*conſcientia, ſuper cœleſtes lactent coronæ, & futurorum nutrit ſpes: habet & labores, vigilias, & exercitationes quaſdam, quibus corroboratur & perficitur. Neque enim ignauus, aut dormiens, trophæũ eriget, ſed qui generosè cum hoſtibus confligit. Si rurſus mihi oggeras, vti & aliàs oggeſſiſti, fieri poſſe, vt & qui temporalibus ſe negotijs immiſcet coronetur, cùm ſcilicet omnia virtutum genera rite exercuit (Et dicis hoc valdè seriò, non iocando) neutiquam moleſtè feres, paradoxum hoc & nouum à me dogma tibi tradi. Etenim cùm hæcce via admodũ facilis, expedita, lata, & curulis quodãmodo ſit, certè nec ipſe tractare aut habere res temporales volo, nec etiam alijs dare, illud Apoſtolicum dictitans,* per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cœlorum. *Siquidem ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus aſſeruit,* anguſtam eſſe portam, & arctam viã, quę ducit ad vitam, & paucos eſſe qui inueniunt eam. *Sed enim hoc comprehendere nequeo: nam tu & per ea quæ dicis, & per ea quæ facis, tum huic ſententiæ ac iudicio, diuinis oraculis aſſiduè contradicis, & contraria doces.*

Act. 14. 21.

Matth. 7. 13.

*Theo-*

Theognosto Presbytero. 367

## De vltione diuina in illos qui Christi nomine, & crucis trophæo signati indignè viuunt.

*CEcidit diabolus, etsi adhuc imprudenter ferociat: ferocit verò dum nostrã ignauiam suæ dementiæ adminiculari & seruire facit: etenim periculum est, ne maximum & diuinum illud trophæum, quod Saluator in hunc mundum veniens de illo & contra illum statuit, nostra negligentia inobscuretur, non quidem quòd suam illud potentiam amiserit, sed quòd à torpore & nequitia illud circumferentium violetur. Qui enim triumphantis & victoris Regis se gloriantur esse milites, & diuinum eius nomen ceu insignem quemdam titulum ac dignitatem (vti reuera est) circumferunt, dum delicijs & pecuniarum collectioni sese applicant ob hæc digni quidem fiunt qui hosti succumbant, attamen propter Regis ipsius gloriam eo superiores euadunt. Nam etiã nunc, tantùm non illis inclamat. Non vestri causa id facio, sed propter nomen meum, ne id violetur & profanetur. Nisi enim suam ipse nunc Religionem foueret, atque vniuersa illi subÿceret, iam dudum ipsa, ob indebitè eam administrationem*

*mini-*

*ministrantium & tractantium negligentiam, in contemptũ et vilipendium venisset. Sed cùm suam is quærat gloriam, religicnem quidem promouet & euehit, ab illis verò grauissimas post paulò pœnas sumet. Neque enim ipse hæc impune patrari sinet, nec diuinum ipsius nomen, quod in ipsos vsque peruenit, blasphemare conatos, impunitos dimittet: imò verò maiora ab his, qui etsi peccarent, talem tamen præeminentiam ac subsidium habuere, at ne sic quidem sapuerunt, sed diuina longanimitate, ad suæ ipsorum inertiæ prætextum et adminiculum abusi sunt, & per quæ ipsos oportebat resipiscere per hæc in deterius prolapsi sunt, supplicia reposcet.*

*Esaiæ.* 368

Declina à malo, & fac bonum. Psalm. 36.27.

M*Agnus, acutum videns, & peruigil, est iustitiæ diuinæ oculus; ac nõ solùm quæ in propatulo & apertè fiunt, contuetur sed & quæ in abysso patrantur, indagat, atque adeò ipsos cordis motus, & recessus eius abditos, explorat. Talem ergo cùm habeamus Iudicem, virtutẽ cõplectamur & à vitio abstineamus: illã quippe is remunerabitur, hoc verò puniet.*

*Palla-*

*Palladio Diacono.* 369

## Nihil nimis differendum.

B*Ona non in futurum differenda, vir sapiens, sed in præsenti sunt faciẽda: etenim & ipsum mortis nostræ tempus, & cacodæmonis aduersus nos artes & vafritiem nescimus, qua id quod præsens est, is semper ab oculis nostris submouet, futurum verò identidem nos cogitare, & somniare facit. Quòd enim norit, nos homines nonnisi in diem & in præsens viuere, futurum verò valdè incertũ esse; hinc nos cautè adoritur, & velut stratagemate decipit, & circa præsens quidem nos decipiendo, futurum verò identidem nobis ob oculos ponendo, nos sibi credentes, dum diem hodiernũ semper vt præsentem reputamus, in perniciem & præcipitiũ trahit. Quapropter, qui operandi & faciendi tempus, nihil agere proponendo, inutiliter consumunt, ipsam bene operandi oportunitatem & occasionem amittunt (Tempus enim numquam in eodem statu permanet) sed & ea intermedio tempore concipiunt proposita exequi, inutilia et nullius esse momenti deprehenduntur.*

*Apol-*

*Apollonio Episcopo.* 370

Victor quis verè.

*ETsi, quæ in rebus ipsis occurrũt difficultates ac perplexitates, id quod æquũ & par per se est subuertere valeant, & illud quod inexspectato deforis intercidit præ eo quod decẽs, & conueniens est, eligere hominẽ quodammodo cogant; tamen, qui prudentes sunt et omnia sua diuinæ dexteræ concredunt, decorum potiùs quàm id quod in præsens & prima fronte tale esse apparet, eligendo ægrè non ferunt, quòd cedere et superari videantur; sed cùm reuera vicerunt, tunc demum lætantur. Illa enim verè victoria est, non in præsens videri vicisse, sed virtute & pietate minimè excidisse.* Conf. epist. 76. 88

*Hermino & Hieraci viris clariss.* 371

Deus supra meritum suos honorat.

*IMmortalis illa & diuina potentia sola aliquem iuxta dignitatem & meritũ vult honorare; sola verò habet, per quæ eum honoret, cùm in eo voluntati facultas ac potentia respõdeat. Illam ergo diligamus vtpote quæ sola nos & vult honorare, & habet per quæ non dico iuxta meritum, sed et supra meritum, honoret.* Non enim, *ait Apostolus*, sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8, 18.

*Theo-*

*Theodoro Præfecto.* 372

## Quis optimè Reipub. præsit.

*EQuidem illum, optimum Præfectum & ducem esse dixerim, non qui per largitiones quasdam in populum effusas factiones concitet, & sui similium (non dicam, se deteriorũ) ceu dominorum quorundam suffragia auro redimat ac mercetur; sed qui virtute ac pietate populum sibi conciliet, & in partes suas trahat, quique non voce ac sermone illius solùm celebretur, sed & in opinionibus ac mentibus vt probus habeatur.*

*Zosimo, Maroni, Chæremoni, Eustathio.* 373

## Ad bonam rursus frugem inuitat.

Conf. epist. 105, 311.

*VIri diserti, ijdemque veraces referunt, vos insigniter & supereminenter flagitiosos esse, vestraque scelera singillatim & in specie recensentes, ingentem certè, vel aliquem tristitiæ sensum habentibus dolorem adferunt. Ego verò duabus de causis ex hoc loco non commemorabo: tum quia illis linguam meam sordibus inquinare nolo, tum quia etiam si vellem, non possem. Adeò quippe illa quidquid dici potest,*

*poteſt, excedunt. Veſtrum proinde eſt videre, ab huiuſmodi rebus vt abſtineatis, quæ etiam illas referentibus pudorem quemdã incutiunt.*

*Paulo.* 374

Virtus amplectenda.

V*Irtutes cole, nec rerum proſperitati confide vel famulare: illæ namque immortale quid ſunt, hæc facilè citoque diffluit.*

*Eidem.* 375

Interrogatio in ſacris litteris vehementiorem reddit orationem.

N*On qui citò aliquid determinat, ſed qui interrogat, & deinde auditorum iudicio ſententiam reique definitionem permittit per interrogationem, hanc ſignificantiorem, & efficaciorem facit demonſtrationem. Vulgus namque eos qui leuiter determinant arroganter contumaces arbitratur, & vt tales incuſat; interrogatione verò vtentes, & procul ab omni præcipitatione ac temeritate abeſſe putat & eos quoque libenter ſequitur, tum ea quæ dicũt tunc admittẽdo tum ſemper quoad viuunt approbando. Nam cùm ſemel illa approbauit,*

*vsque aſſentit, diſſentire dein & approbata reprobare verecundatur. Tale quid & ipſe Chriſtus Dominus ineffabilis illa Dei patris Sapientia, ſæpè quidem aliàs fecit, potiſſimum verò tum cùm de vinitoribus egit. Nam cùm*

Matth. 21.41. *interrogaſſet*, Quid faciet illis agricolis? *illi autem dixiſſent*. Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis; *tum demũ reſponſum & aſſertionem ipſorum ſuo is calculo confirmauit. Cùm enim priùs ipſe determinare & reſpondere potuiſſet, interrogatione ſua ipſos ad iudicium ac ſententiam ferendam compulit, ac tum demum eam ipſe dicto ſuo cõfirmauit. Idem & Apoſtolus Paulus, Sapientiæ illius diſcipulus factitauit: cùm enim dicere potuiſſet abſolutè.*

1. Cor. 11.13. Non decet mulierem Deum nudo capite & non velatam orare; *interrogando viuaciorem & efficaciorem demonſtrationem fecit, dicendo.* Decet mulierem non velatam orare Deum? *Tu ergo ſiquid determinare & aſſerere volueris, pluribus id noli deducere nec citò aſſeuerare, nec fortius vrgere (Multi namque hoc modo agentibus tametſi alioqui eleganter ſua proferentibus, contradicunt) Sed dulcedine, benignitate, atque interrogatione præmiſſa demonſtrationem & aſſertionem tuam prægnantiorem facito. Sic namque*

*que præterquam quòd victoriam dicendo referes & apud auditores etiam mansueti & benigni nomen consequeris.*

## *Menæ Diacono.* 376

Quæstionibus præpositis planè, & perspicuè iuxta Dei verbum respondendum.

*INterrogantibus, non tortuosè, intricatè, & coactè, sed rectè & planè respondendum est: nam sacra Scripturarum oracula apertam ac planã contra quælibet peccata medicinã propinant. Quemadmodum verò medici, cùm vnum medicamentum ac pharmacum pro alio ægrotis offerunt, ipsis non tam prosunt, quàm obsint; sic, qui proprias cuique peccato adferre curationes & medicamenta nesciunt, cùm medicæ artis ignaros se produnt, tum ipsa mala morbosq; adaugent. Cùm enim his ipsis oraculis sapientiores esse velint, & quæ sibi placent doceant, non seipsos modò, sed & illos, qui ad ipsos velut ad portum securum confugiunt, spe sua frustrantur, in vastum quæstionum mare ipsos conijciendo.*

*Paulo.* 377

Eccles. 31.10. Qui potuit transgredi, & non est transgressus.

*NOn ille iustus appellandus, qui nullam omnino ad improbè agendum occasionem habet, sed qui cùm liberè improbè agere possit, ab omni tamen improbitate abstinet: neque qui ex necessitate quadam & coactus temperantiam colit, temperans ac modestus vocari meretur, sed qui cùm voluptatibus indulgendi facultatem habeat, temperantiam nihilominùs complectitur. Illi namque quòd quæ volunt facere nequeant, sæpè moderationem & lenitatem simulant, cùm verò potestatem & facultatem faciendi iam habent, reprehenduntur: sed viri boni tunc maximè se præbent generosos, & validos, ac iustitiam exercent, cùm iniustè agendi & peccandi facultatem habent.*

*Marcioni Presbytero.* 378

Quæ vera sacerdotis dignitas.

*ILlud demum verum & genuinum sacerdotij est ornamentum, quod à virtutum operibus prouenit: quisquis autem cùm interiùs nullas dignitatis huius notas habeat, alieno se splendore*

*ſplendore & cohoneſtatione condecorans, ſolò qui ſibi defertur honore gloriatur; hic ab ipſa Veritate inter ſpurios & illegitimos cẽſentur. Cùm itaque dilectus Deo Hermogenes debitã virtuti ſuæ etiam dignitatem ſit conſecutus (vtrumque enim quaſi ad quid ſibi proprium feſtinauit; quippe ipſum ſanctimoniæ ornamentum aliquem ſe dignum, virtutis verò dignitas ac principatus quoddam ſibi à diuina gratia debitum additamentum quæſiuit) at Deo inuiſus (vti ſcripſiſti) Euſebius, virtute deſtitutus, ſola ſacerdotij ſe dignitate iactat, & gloriatur. Illum celebrant omnes, tamquam qui parem, conuenientemque dignitati intentionem & propoſitum attulerit; hunc verò ſugillant ceu ſpurium, quique in ſortem atque hæreditatem neutiquam ſibi conuenientem, violenter inuolarit.*

*Dorotheo viro clariſſimo.* 379

Qui ordinandi ſacerdotes.

S*Acerdotio ne inities eos, qui vix vmquam ſed eos qui mille per certamina virtutem exercuerunt, ſeque ad ſanctiſſimam hãc dignitatem aſſiduè diſpoſuerunt, relictis ijs qui inſidiosè & furtim eò conuolarunt: ſed illos quidẽ*

*hac dignos pronuntia, hos verò inde repelle. Eorum enim qui non eadem via & medijs ad eundem scopum tendunt, eadem ac similis habenda non est ratio, sed illi qui sacerdotium vt virtutis præmium nacti sunt, laudandi & felices pronuntiandi, qui verò ad ipsum insidiosè conuolare (vt ita dicam) ausi sunt, accusandi, & miseratione digni sunt, quòd viam, qua ad diuinum ministerium debitè tenditur, negligentes, & sanctissimam sacratissimamque multi temporis in laboribus pro virtute susceptis perseuerantiam ac perdurationẽ vilipendentes, sanctionesque, decreta, & alias sanctimonias rectè, debiteque à superioribus sancitas reijcientes, satis sibi esse ordinem sacerdotalem arbitrati sunt, ob quem solùm se iactantes & insolentes, aduersus rectè viuentes insurgunt.*

*Harpocræ Sophistæ.* 380

## Vni vacandum arti vt excellas.

*OPortet eum qui vni arti addiscendæ incumbit, eam percallere, & in ipsa excellere: qui enim multis sese artibus tradunt, esto multas scire videantur, tamen in omnibus illis perfecti non erunt; sed si quod res est, dicendum,*

*dum, vniuersas habebunt imperfectas, & immaturas: & quamuis excellere videantur, eò quòd multas norint, in eo tamen vicissim deficiunt, quòd singulas perfectè non calleant.*

## *Cassiano Remp. gerenti.* 381

## Capientes sæpè capti.

FRatri tuo idem omnino accidit, quod ministris illis ad Christum comprehendendum missis sed magna cum admiratione et stupore reuersis. Vt enim hi sermone dictis Christi inescati sunt, & missi vt caperent, admiratione capti redierunt: sic & ille, vt ais, dictorum pulchritudine & splendore captus adeò non diuinissimæ religioni est aduersatus, vt & præco eiusdem & patronus factus sit. Nihil enim veritate est clarius, nihil simplicius, cùm quis non malignatur; sicut vice versa, cùm quis fraudulenter agit, nihil apparet grauius & intolerabilius. Nobiscum itaque gaudens, Deum precare, vt quicumque id vident, non solùm non offendantur, sed & in mente illuminentur.

Matth. 22.15. Marc. 12.13. Luc. 20 20.

*Eulogio.* 382

Conf. epist. 115. Secundis non tollendus animus nec aduersis mergendus.

*PErmagni equidem facio ipsam rerum vicissitudinem æqua mente generosè posse ferre, multi quidem difficilius reputant, quempiam, è secunda fortuna in aduersam prolapsum, de statu et celsitudine mentis suæ non deijci; ego verò difficillimum, eum qui vice versa ab aduersa ad prosperam ascendit, moderationem seruare, nec se efferre. Etenim hoc mihi quoddam fortitudinis & generositatis signum esse videtur, in prosperitate & felicitate non extolli, in aduersitate verò non deijci aut animum contrahere, sed æquabilitatem mentis in vtraque seruare.*

*Petro Correctori.* 383

Psalm. 50. Disce iuste præesse, &, Tibi soli peccaui.

*QVi ad imperium euectus est, eum legibus subesse & parere necesse est: si enim ipse aduersus eas præuaricetur, quomodò legitimus erit Princeps, vtpote qui à vitijs regitur & subiectus est? Iustè ergò & legitimè impera,*

*impera, tibi ipsi quidem valde rigidè & stri-ctè, subditis autem commodè & conuenienter. Si porrò quod iustum est ignorare te dicas, cum viris sapientibus, intelligentibus & iustitiam colentibus, & omnem inhonestatem ac turpitu-dinem fugientibus communica. Si quid verò imprudenter et inscius feceris, id reparare mox & corrigere stude. Si porrò aliquod hinc detri-mentum ac damnum accipere te existimes, er-ras, nam maxima hinc in te laus deriuatur. Neque id tam ex me ipse pronūtio, quàm quod aliàs in priscis id historijs legi: Etenim Rex quispiam, iustitiæ sectator egregius, deque ea maximè laborans, sic ad vrbes suas scripsit:* Siquid contra leges fieri præscripsero, nolite mihi, vt ignoranter imperanti parere. *Si verò ille, Rex cùm esset, nec aliorum hominum con-demnationi ac iudicio subesset (soli namque di-uino iudicio Reges subsunt; vnde etiam Psal-mista Rex ait.* Tibi soli peccaui) *adeò de iusto & æquo liberauit; te certè, qui Regibus,* Psalm. 50,6. *& maioribus Principibus subiectus es, æquum est iustitiam colere, nec aduersus eam vllate-nus delinquere; & cogitare; etsi quidem hic condemnationem & pœnam euadas, in altero mundo certè diuinam te non euasurum.*

*Maroni.* 384

Conf. epist. 319. lib. 1. 15. lib. 4 124. 126. 146.

Corpus pareat, mens imperet.

*QVisquis seruilibus carnis passionibus mãcipatus & subiectus est, haud absimilis (vt etiã crassiore similitudine vtar) est aurigæ, qui cum suo excidit curru ab habenis hinc inde raptatur; quæ eum adeò non expediunt & extricant, vt etiam magis intricent & inuoluant, qui proinde sic suæ negligentiæ dat pœnas. Hoc porrò contra naturæ & rerum ordinem fit: etenim oportet & decet vt currus rectè beneque ab aurigæ arte regatur, contrà auriga malè ab equis suis raptatur. Imperij quod secundùm naturam est, subuersio, quædam est naturæ ipsius inuersio, corpus oportet proinde ab anima regi & gubernari.*

*Eidem.* 385

De fortitudine, & audacia.

*QVod rationi consentaneum est, & generosum, id equidem fortitudinem appello: contrà, quod rationi repugnat vt & robur mente destitutum, audaciam.*

Alphio Monacho. 386

De iure belli ac vindictæ.

BElla vt plurimùm suscipiantur, vt alienæ possessiones inuadantur & occupentur: nō tamen omnino omnes bella gerentes incusandi; sed qui illa vel iniustè, vel prædæ causa suscipiunt, vt scelesti quidam dæmones reputandi; qui verò moderatè se vlciscuntur & defendūt, non sunt quidem vt iniusti, reprehēdendi (Etenim legitimam rem agunt) non tamen sunt, ceu Philosophi quidam, aut quid cœleste facientes, aut quòd acceptas iniurias rependant, suspiciendi, & celebrandi, sed tantùm quòd illas æquo animo ferre, inertiam & ignauiā quamdam esse censeant: ij verò, qui iustè quidem se vlciscuntur, sed debitum vltionis & vindictæ modum excedunt, vt iniusti sunt culpandi: qui enim æquos vindictæ limites transgrediuntur, nouam & alteram iniuriam ordiuntur. Pœnas enim & castigationes delictis commensurari æquarique oportet, non illa excedere, ne quod iustum & legitimum est excedendo, & quæ inde resultat, quòd iustè vindictam ceperint, gloriam violando, inter alastoras & cacodæmonas referantur.

Olym-

*Olympio.* 387

Multi ad eruditionem peruenissent, nisi se iam eo peruenisse putassent.

P*Vtare se aliquid scire, in causa esse vt nihil quis sciat (esto id tibi ceu ænigma et paradoxon videatur) testatur Plato, quem identidem ipse in ore habes, sic cum Alcibiade differens:* *Soc.* Animaduertisnè, ò Alcibiades, te hæc ignorare? an me inscio hæc didicisti, & præceptoris operam industriamque adhibuisti, qui te doceret diiudicare iustius & iniustius. *Alc.* Quid ni possim? existimasne me rerum iustarum, & iniustarum definitionem ignorare? *Soc.* existimo certè te illam posse, si eam compereris. *Alc.* Tune ergo arbitraris me non comperisse? *Soc.* Equidem arbitror, si eam inuestigaueris. *Alc.* Iam me non inuestigasse arbitraris? *Soc.* Arbitror, si aliquando opinatus es te illam ignorare. *Quæ cùm ita sint, tunc demum aliquid sciemus, cùm nos minimè scire existimantes, alios qui nos id doceant, conquiremus.*

Plato in Alcibiad. priore.

*Atha-*

*Athanasio, & Theognosto.* 388

Timothei vita functi laudatio, veluti funebris oratio. Conf. epist. lib. 2. 155.

*NOstis etiam tacente me, beatæ memoriæ Timotheum, optimum alienæ virtutis imitatorem, & in omnibus virtutibus scitè exprimendis maximè insignem & mirabilem extitisse. Quòd verò is præ omnibus nostri studiosus fuerit, & à nobis se (etsi res aliter se habuit) initium conuersionis suæ & ad meliora transitus accepisse existimet; tametsi multa de hac re dicere possem hic prætermittam, quòd verear ne quosdam his, quibus glorior, cõtristem: vnum verò dicam, cuius omnes tam amici, quàm aduersarij testes sunt, ipsum vsq; eò se demisisse, & in tantũ me reueritũ esse, vt si data ei esset vel in Regum palatijs, vel apud me, agendi optio, meum contubernium proculdubio pręelegisset. Duabus igitur de causis mortem eius molestè tuli; primò, ob superexcellentẽ virtutem, dein ob sinceram & puram eius erga me amicitiam; duo verò eiusdem dolorem etiam adimunt, primum quòd gloriosè hac è vita decesserit; alterum, quòd à Deo iam coronam & mercedem acceperit.*

*Theo-*

*Theodosio Anachoretæ.* 389

Peccatis vtcunque paruis principio obstandum, ne crescant vt Zosimi, cæterorumque pro quibus tamquam desperatis orandum.

S*Vfficit, sanctitatē tuam id mihi asseuerare, vt credā, non tā è natura dyscola et morositate prouenisse, vt paruis in rebus sis stomachatus, quàm quòd nosses et videres res corruptas esse, & in peius (nisi necessitas aliqua impediat) ruere.* Res ipsa *quippe euidenter, vti ais, ostendit, quomodo insana Eustathij, Zosimi, & Maronis in luxum ac libidinem propensio & furor in immensum excreuerint: Oestro namque perciti, ac velut rabientes, parum à Centauris abfuerunt. Nihil ergo nobis reliquum est, quàm ipsos lugere ac deplorare: si verò & per preces tuas illis gratificari & opitulari velis, rectè feceris.*

*Paulo.* 390

Lucri contemptus, bonaque existimatio.

N*Oui ipse, forsan & tu, quosdam, qui data ipsis præmia & honoraria minimè admittunt;*

*mittunt; non quòd lucrum & emolumentum prorsus, respuant (sic enim præconio omni digni essent) sed vt maiora accipiant: qui cùm alioqui vera gloria & genuina careant, inepti propterea ac stolidi reputantur. Oportet igitur nos vel omne prorsus lucrum respuere; aut si minùs id poßumus, modicum & mediocre diligere; ne dum quod supra dignitatem & meritum sit, consectamur, etiam eo quod secundum meritum est, excidamus, & stolidi ineptique habeamur, nec tam eò quod boni aliquid acceperimus laudemur, quàm quod mali quid acceperimus, sugillemur.*

## *Nilo.* 391

### In nimio dolore sæpè stupor, & silentium obuenit.

*QVi moderatè dolent, etiam lachrymari poßunt: at qui in maximis malis & calamitatibus penitus consternuntur & percelluntur omnino lachrymari nequeunt, quòd ipsa magnitudine doloris victi sint, & omnem quem habebant humorem, ignis vehementia absumpserit. Vultu itaque attonito, et perculsi, hærẽtes nec verbũ, nec lachrymas emittendo, sed ipso vultus mœrore & squalore, quomodo*

*modo introrſum cōſtituti ſint, declarando. Hoc autem ex inopinata & inſperata illa re in ipſis oritur; nam quod animo aliquando agitatum non eſt, eum cùm de inſimul & conglobatim irruit, planè percellit & conſternit.*

*Eutonio Diacono.* 392

## Bonis propter improborum inuidiam virtutis ſtudium non deſerendum.

TAmetſi malitiæ atque improbitatis & multæ, & variæ ſint artes, tu tamen virtute illas exſupera; cùm enim nihil ſit virtute illuſtrius, nihil improbitate obſcurius & turpius, hinc ſæpenumerò multi eorum qui præclara nec loqui, nec agere volunt tum ſua ipſorum deformitate, tum proborum claritudine animaduerſa aliquem ſibi ex ijs qui nihil boni loqui, vel facere propoſuerunt, deligendo, illum ſupra meritum extollunt & admirantur. Hoc porrò ipſorum alij ex imperitia, alij faciũt ex inuidia, idque magis vt laboris amantium, & ſtudioſorum gloriam obſcurent, quàm vt eũ qui huiuſmodi eſt, verè admiratione dignum eſſe oſtendant. Verùm virum probum & honeſtum potiſsimum maiorem eſſe oportet quàm vt vllis aliorum laudibus capiatur; at ſi eas

ipſe

*ipse ambiat, dolum considerare (quod illi, ipsius cursum & impetum ad virtutem interrumpere, vel eum contristare satagentes illum laudarint qui vituperandus potiùs erat) atque ex ignorantia et inscitia id facientibus ignoscere, illos verò qui faciunt ex inuidia, deplorare, quòd tantum hi absint, vt boni quid faciant, vt ne quidem cum virtutis cultore fœdus aut societatem inire sustineant.*

*Zosimo Presbytero.* 393

Simoniæ nundinationisque beneficiorum accusat. Conf. epist. 276.

*SAcerdotium te non sanctè rectèque possidere, iam pridem constat: neque enim recta via & legitimè id habere vmquam contendisti, sed pecunia & auro emere voluisti. Sed ad oculum patet, te cupiditatem & voluntatem tuam nunc etiam executioni mandasse, etsi ad extremum vitæ occasum iam veneris. Quis ergo tibi veniæ locus reliquus erit, nequitiæ & improbitati immori volenti?*

*Isidoro.* 394

Prudens quis existimandns.

*SIquem, ò mihi cognominis amice, ex ijs quæ apparent signis et coniecturis, rectè id*

quod

*quod probabile & verisimile est, coniiciendi gnarum videro; gnariorem verò, vt ex iis quæ non apparent, id quod facto opus est intelligat, in tentationibus quoque & periculis, impetum aduersariorum verbis exhortatoriis ac generositate propria pellere & elidere valeat; hunc virum prudentissimum iuxta ac fortissimum iudicarim.*

*Apollonio Episcopo.* 395

Quis verè rex, quis tyrannus.

H*Vnc ego solum Regem & præfectum esse duco, qui postquam sibimetipse imperauit, subditos lenitate & benignitate sibi deuinxit, ac parentes reddidit: reliquos verò, tyrannos reputo, qui nimirum alienis ex laboribus illicitas sibi voluptates comparant.*

*Athanasio Diacono.* 396

Bene morienti gratulandum.

S*I omnes omnino homines morti obnoxii sint, & illud eos debitum non exsoluere impossibile sit, quod nec Reges, nec tyranni, nec Satrapæ, nec sapientes, nec iusti abolere, & rescindere vnquam potuerunt (est namque diui-*

num

*num decretum quod hoc ita exigit ) illi certè commiseratione sunt digni, & plangendi, quibus vitæ finis fit pœnarum & castigationum initium; at illis è contrà gratulandum, & ipsi celebrandi, quibus laborum & certaminum finis initium cœpit esse coronarum. Quòd enim supremæ beatitudinis terminum inuenerint, hinc reliquis omnibus neglectis vnicam animam suam exornare studuerunt, cuius etiam corpus, quoddam puritatis & castitatis templum ac sacrarium esse voluerunt, quod etiam in resurrectione in melius transformatum, immortalem vnà cum anima vitam viuet.*

### *Ischyrioni Presbytero.* 397

Qui in vita fugiendi.

I*Mprobi, vir optime, & qui alios persequuntur, fugiendi sunt, nisi velint resipiscere; boni verò spectandi; & hi fugientes, tametsi nolint, retinendi ac sistendi.*

### *Theodosio Presbytero.* 398

Præclarum est iniurias patienter ferre, at pro inimicis etiam orare longè maximum.

P*Robè nosti, iniuriarum improbitatisque alienæ æquo animo tolerantiam, in hoc*

*quidem mundo gloriam ac laudem adferre, in altero verò maximum decus allaturam; iniurias verò inferenti, ac malè nos habenti, quasi qui nos ad præstantissimum philosophiæ genus ducat ac velut impellat, gratias agere (& præsertim tum, cùm is qui sæpius eas irrogat, propterea etiã gloriatur) vt nõ dicam, quòd velim coronas nos nostras ex alienis calamitatibus et malis contexere; maximum quid esse, & maius quàm vt vires meæ eò pertingant, vtpote qui quidem iniurias, & iniquitatem alienam æquanimiter perferre possum, nondum tamen didici iniuriantibus me & lædentibus gratias agere, ac purè sincereque pro me vexantibus et damno afficientibus Deũ orare; & tum maximè, cùm ne quidem commissa volunt agnoscere, sed insuper pro se orantes exsibilant. Hoc porrò ex me disce. Si hoc præstare & ipse potueris, maximè te laudabo, & generositatis nomine deprædicabo: ego enim (meum quippe defectum & imperfectionem celare nolim) cùm sæpè ex animo precatus sum pro ijs qui fortuitò me læserant; precari verò iam vellem pro ijs, qui data opera, & de industria me læserũt, hoc nonnisi ore tenus fecisse me comperi. Equidem non eos habeo vt suspectos, qui ad tam altum virtutis gradum peruenerunt, imò ijs et*

*con-*

*congaudeo, & congratulor, optaremque ad hunc possem pertingere & ascendere. Neque enim sum vt plurimi, qui cùm virtutem aliquam consequi nequeunt, absurdum quid & ineptum faciunt: vel enim rectè agentes suspectos habent, & secundùm ea, quæ ipsimet agunt, de alijs iudicium ferunt & censent (nam omnes ferè, iuxta ea quæ in seipsis vident de proximis solent censuram ferre) vel quòd eos pudeat pusillanimitatis argui, iactant se & gloriantur quasi rectè fecerint (præsertim, cùm res adhuc occulta est, & latet) vel denique actionem repudiantes, ad nudam speculationem confugiunt, vt non tam ex ignauia & inertia quadam, quàm sano integroque iudicio, non rectè fecisse videantur. Quod nonnullis scio accidisse, qui nimirum illud Saluatoris.* Neque duas tunicas habeatis, *adimplere non potuerunt. Neque enim tam dicere oportebat, speculandum esse, quàm illos qui rectè fecerunt admirandos, & simul fateri, hoc illos præmium non esse consecutos. Nam illos ipse potissimùm deprædico, qui illud faciunt, quod hactenus ipse facere non potui.* Matth. 10. 10.

*Martyrio*. 399

Conf. epist. 366. Temporis ratio habenda. Occasio non negligenda.

*TEmporis parcum esse, carissime, cõsultum est: neque enim id cùm semel transiit denuò reuertitur, nec malè inaniterque insumptum, eadem redit via, sed irreuocabili & statutæ legi naturæ obediens (velocissimum namque est, ac celerrimum) inattingibili cursu fertur, ijs verò qui ipsum comprehendere volunt, non se capi permittit. Quare, ipsum, cùm adhuc propinquat & instat, arripiendum est; tunc namque id apprehendere & retinere possumus; nam cùm iam perequitantis instar pertransiit, frustraneum est illud persequi, comprehendere verò, impossibile.*

*Hermino Comiti*. 400

Ezech. 34. In malos pastores pecus deglubentes.

*NOli mirari, si cùm tales pastores appellantur, oues à lupis deuorentur. Tantum quippe horum nonnulli (neque enim omnes accusandi sunt) absunt, vt eas custodiant & curent, vt ne canum quidem gregem seruantium,*

 *mores*

*mores & naturam imitentur, sed lupos imitãdo, oues deuorent. Neque enim satis illis fuit lanam & lac ouium accipere, sed & ipsarum, non dico corpora (quod sanè minus esset) sed animas attingere non dubitarunt omne pingue mactando, infirmum negligendo, saucium non curando, denique omne validum, & intemperantiæ illorum minimè cedens, dolis & fraudibus opprimendo.*

*Dorotheo viro clarissimo.* 401

Veritas semper vincit.

E*Quidem malo, veritatem colendo superatus videri quàm mentiendo vincere, dum enim vera dico, tametsi superatus videar supero, cùm verò dolo malo præualui, esto vicisse videar, succubui potiùs.*

*Martiniano, Zosimo, Maroni, Eustathio.* 402

Suadet à libidine temperare.

C*Vm ignorare vos simulatis quòd improbitas ipsa in se omni sit castigatione grauior atque intolerabilior; equidem par esse censui, hoc ipsum vobis significare. Si verò vosmetipsi, illecebris voluptatum inescati inani*

*persuasione decipitis, vobiscum quæso, supplicia quæ intemperantiæ debentur, & quæ ipsa omnimodò luet, perpendite, & ab illa abstinete.*

*Sereno.* 403

Animi moderatio in prosperis aduersisque seruanda.

N*Imia lætitia plus interdum animam lædit, quàm tristitia: illa namque eam effert, insolentem reddit, & naturalis suæ conditionis immemorem facit: hæc autem superbiam eius deprimit, elatos spiritus humiliat inflationem euacuat, suæ illam conditionis memorem reddit, & ad virtutem capessendam impellit. Quamobrem longè super omne gaudium & dolorem esse vos oportet, & vtriusque occursum moderatè & constanter ferre.*

*Hieraci Diacono.* 404

Conf. simil. ep. 135

Hortatur vt cùm animi morbum intelligat eius medelæ incumbat.

P*Lus sanè ægrotantis potest propositum & intentio, si nimirum is sibi persuaserit quòd ægrotet, & sanitatem quantocius consequi*

*qui studeat, quàm medicus, vtcumque ille sit peritus; & quàm medicamenta, esto ea & multa, & varia sint; & quàm morbus ipse, etsi is curatu perfacilis sit. Quamuis enim hæc omnia simul concurrant, nihil quoque eorũ quę ad valetudinem quoquomodo recuperandam conducunt, omittatur; nihil tamen efficere hic poterunt, si ipsa laborantis mens & intentio aduersetur, & his omnibus contrarietur. Si ergo & ipse te ægrotare noris (quod certè non exiguum quid est: multi enim cùm ægrotent, ne ægrotare quidem se sciunt) connitere & operam da, vt valetudinem recuperes, recuperabis autem, si huc ipse per te comitaris, & diuinam scientiam & artem, quæ longo & naturam, & morbos, & malignitatem omnem interuallo transcendit tibi aduoces.*

*Palladio Diacono.* 405

Monet vt eum cui maledixerat apologia se excuset & simile peccatum imposterum vitet. Conf. epist. 190.

T*Ametsi, quem ipse contumeliis proscidisti, iratum fuisse constet, simulque is præ se ferat breui se facti huius de te exacturum pœnas, quasi eum graui iniuria affe-*

*ceris & læseris; crediderim tamen illum vbi commonitus fuerit cessurum, neque vllatenus vltionem de te sumpturum. Quamobrē siquidem hominum nunc castigationem effugias (fore autem vt effugias arbitror) teipsum emenda, & pœnam à teipso reposce, tunc teipsum per pœnitentiam & resipiscentiam castigando, tum apologia & defensione apud eum qui læsus est vtendo, eumque à parte tua securum reddendo, quòd tale quid exinde non committes. At si eadem facere pergas, etsi hominum supplicium euadas, diuinum haud effugies.*

*Sereno.* 406

Virtutis laudatio, & seq. epist.

SI *virtutis sectatoribus, securè & confidēter nunc viuere, & post hanc vitam diuino tribunali assistere liceat; improbitatem verò & in hac vita maneat & in futura etiam mansurum sit probrum et ignominia, cur illam non amplectimur, hanc verò remis velisque non fugimus?*

*Heroni Monacho.* 407

V*Irtus, necessarium quid est conducibile, pulchrum, decens, vtile, & fructuosum necessarium, quia nihil magis necessarium quàm*

*quàm rectè vitam instituere : conducibile, quòd ad beatitatem hominem conducat : pulchrum, quòd possessores suos condecoret : decens quòd eosdem insigniat & exornet: vtile quia finis eius labores alleuiat ac solatur : fructuosum denique quia nihil ea fructuosius. Quis ergo, nisi valde amens eam non summopere diligat?*

*Esaiæ.* 408

Magni, & angusti animi discrimen. Conf. lib. 4. epist. 152.

N*On ignorare te existimo, animi generositatis comitem esse solere splendorem & magnificentiã, pusillanimitatis verò, abiectionem: scire quoque meritò illam decus, hanc venerò metum decere. Illa namque res secũdas moderatè, aduersas generosè fert : hæc verò, modò quidem plus æquo se effert, modò nimis quàm demissè se abijcit, vnà cum rebus se immutans, & ab Euripo nihildum differens.*

*Eidem.* 409

Monet ne propter diuitias se extollat aliosq; ijs carentes contemnat.

S*I eò quòd iniquas diuitias te circumfluere videas, diuitem te reputes ; & contrà*

*vitam*

*vitam modestiorem sectantes, quòd cum intolerabili paupertatis fera conflictentur, miseros noris, quo ipsi apud te loco sunt, eo & te apud illos, cùm de te interrogantur esse. Neque verò mirum est, id te non sentire; cùm insani & dementes, faciendo ea, quæ faciunt, seipsos quidem beatos & felices reputent, eos autem qui re verà sapiunt, irrideant.*

*Aemiliano.* 410

Conf. epist. 336. 337. 338.

## De gloriæ studio.

*IDcirco difficile est, vti apparet, gloriæ studium & ambitionem euitare, quod quidquid ad eam auferendam quis facit, hoc alterius & nouæ cuiusdam ambitionis initium esse comperiatur. Ergo qui bonis operibus destituti cùm sint, nihilominus laudem & gloriam ambiunt, hi velut persanatu difficiles audiant sibi dicentes oportet. Virtutem priùs exercete, & tum demum gloriam quærite. Qui autem rebus bene gestis datam vltro gloriam non reyciunt, nec contemnunt, vt facilè sanabiles sic curentur, & audiant: maiora & illustriora vestra tùm opera erunt cùm gloriam, quæ semper labi veretur, & firma cõsistere nequit, sed facillimè in nihilum redigi & recidere potest,*

test, contemnetis: quæritis quidem quod æquum ac iustum est, nondum tamen eius quærendi tempus aduenit; veniet quippe tempus, cum solis in morem refulgebitis. Ii denique, qui omnem humanam gloriam contempserunt, longè quæ supra illam sunt erunt vt philosophi & perfecti quidam viri deprædicandi:

## Eidem. 411

Rursum de gloria. Quid differant φιλόδοξος & κενόδοξος. Conf. epist. 337.

Diuinum quid est, rectè agentem, hominum gloriam non quærere, nec ambire: sed qui cùm rectè egit, eam quærit, ille gloriæ & laudis cupidus est, non tamen inanis gloriæ sectator: ille namque inanis gloriæ sectator & ambitiosus est, qui cùm à bonis operibus inanis & vacuus est, gloriam sibi nec debitam, nec conuenientem venatur & quæritat, glorians scilicet in ijs quæ ipse non facit, sed aliena persona & schemate solùm se ostentans. Neque enim omnis gloria, inanis existimanda est (si enim hoc concedatur, etiam ipse gloriæ & laudis cupidus, non immeritò inanis gloriæ studiosus & ambitiosus appellari posset) sed si propriè

*propriè ex vi verbi loqui velimus, qui ab operibus bonis inanis & vacuus est, nihilominus sibi gloriam vendicat, hic meritò, laudis inanis cupidus appelletur & ambitiosus.*

*Prosechio Scholastico medico.* 412

## Animæ perturbationes vnde oriantur.

NOn quemadmodum in mari, vir doctissime, turbationes à ferocientium ventorum vi & impetu; sic & in anima oriuntur, sed ab eiusdem inertia ac desidia. Nisi enim ipsa flammam accenderit, nisi igni alimentum dederit, nisi in formas venustas curiosiùs inquisierit, nisi alienam pulchritudinem ardentius scrutata fuerit, nisi in theatra, vbi voluptatum procellæ & illicia densiùs ingruunt, se ingesserit, nisi lautioribus epulis carnem saginarit, nisi denique gubernatricem rationem vino merserit; flamma certè non exsurgit, pyra non accenditur, bellua ferocior non euadit, non denique ipsa rationis ac mentis integritas, velut ab impetuosis quibusdam ventis aliorsum abripitur.*

Zosimo,

*Zosimo, Chæremoni, Maroni.* 413

De vini vsu disputatum. Ebrietatis malæ.

V*Itis vocatur* græcè ἡμερὶς, idest mitis, *quòd vinum nos, si oportunè & moderatè sumatur, mitiget. Etenim id homines inter fidem & amorem mutuum conciliat, lætitiam mentis causatur, dolorem dispellit, ipsam denique inertiam ac vecordiam tollit: ægrotantibus quoque simplex quoddam medicamentum est, & variorum morborum sanatio; rectè valentibus verò robur, & valetudinis bonæ conseruatio. Siquis autem illud.* Ne quid nimis; & Modus ac mediocritas optima est, *negligens, ipsum auidè nimis & æquo copiosius sumat, & commissam sibi iniuriam vindicabit; nam primò caput ac tempora conturbabit, dein robur ac vires eripiet et vniuersū adeò corpus dissoluet; manus verò et pedes occupans ac velut vinciens (alia enim, quæ his absurdiora sunt, ne honestum quidem dicere) sui potorem tam amicis, quam inimicis, ludibrio exponet.*

*Leontio.* 414

De virtutis vtilitate.

T*Antum porrò abest vt virtuti rerum vicissitudo sit imputanda, vt hanc etiam debitè* — Conf. epist. 406. 407.

*debitè conuenienterque refrænans ac moderãs ad ea quæ officij sunt facienda hominem inducat: diuites namque rectam familiæ administrandæ rationem docet; in gloria agentes, vt moderatè se gerant, rectores & præfectos, ne inflentur; pauperes denique vt fortiter paupertatem ferant. Quare si ipsa longè supra omnem rerum vicissitudinem ac mutationem sit, & in hac quidem vita famam & celebritatem habeat, in altera verò gloriam sit consecutura, cur eam complecti dubitamus?*

*Harpocræ Sophistæ.* 415

Hortatur vt amico mortuo non monumenta ponat, sed vt funebri oratione eum ornet.

*QVæ in exequijs & funere à rudibus & indoctis hominibus fieri solent, alijs sunt relinquenda; tu verò perfectioribus ac melioribus quibusdam apprecationibus defunctum prosequere, eumque tutis & decentibus orationibus funebribus cohonesta, quamdam verborum ei gratiam rependendo; vt & illum honores, & ad illius imitationem posteros excites.*

Gesio

*Gesio Remp. administranti.* 416

Iniuriam remittendam.

T*Ametsi eorum quæ paßus es magnitudine superatus, teipsum nequaquam superare potueris, vt de inferente vindictam non sumas, sed omnimodò de illo pœnas capere constituas (est hoc certè quàm maximè à Christiano alienum) Si tamen legi velis insistere, interim cede & exorabilem te præbe (forsan enim vel tempus indignationem tuam curabit, vel ipse se apologia aliqua apud te purgabit) siquidem tanta tua est indignatio, & postea vindictam de illo sumere poteris tempore te nō impediente vel remorante, quò minus is debitas tibi pœnas det. Atque hæc quidem hactenus. Dic verò amico tuo. Veni ad nos, vel daturus quæ habes, vel accepturus quæ non habes. Nam tu quidem sapientiam te habere dicis, quæ magnificè se iactare non renuat, nos verò veritatem loquimur simplicitate ac verecundia exornatam. Vel enim meliora adinuenta libens sequens, vel nullum saltem damnum paſſus, domum vnde venisti reuerteris.*

Zosimo

*Zosimo Presbytero.* 417

Conf. epist. 311. 445. 562. Vt sit frugi hortatur: vt & tribus sequentibus Epistolis.

*SI quidem sola pecuniarum cupiditas te occupasset, & teneret, non ita passim omnes in te inueherentur. at cùm (vti ferunt) omnes omnino cupiditates, promiscuè irruentes, sedem in te fixerint, hinc rati plus peccare te, quàm vt vlla supplicia peccatis tuis condigna sint, te velut variegatam & multiformem quamdam belluam auersantur. Vnde si hanc à te amoliri infamiam & probrum cupias, ea & dicito, & facito, quæ virtutis cultores & sectatores decent.*

*Ausonio.* 418

*SApientem animum, & institutum tuum miror, quòd cùm seueritatem lenitati misceas, nulli tuorum subditorum sint, qui te vel ob austeritatem odio prosequantur, vel ob lenitatem tuam peccent, sed parem & consequentem tibi vicissim mixtionem rependant, amorem scilicet cum temperantia & modestia coniungentes. Cùm enim tu quæ plurimum inter se differunt, & inuicem distant, contempe-*

*rando*

*rando coniunxeris, illi quoque par tibi referunt, edocti videlicet à te, combinare & pariare ea quæ disparata sunt.*

Eidem. 419

TVa rectè facta & opera (ò dulcissimum læsis & iniuria affectis lumen, tametsi lædentibus id maximè terribile sit) maiora sunt, quàm vt cuiuspiam laudatoris lingua dignè celebrentur: quinimò optant laudatores, vt à virtute tua quæ in immensum increuit, magis adhuc superentur.

Eidem. 420

QVisquis hominibus animum & affectus modestos habentibus vllò sine fastu respondet, superbos verò, inflatos, & arrogantes minimè veretur, ille euidentissimum virtutis argumentum & notam dat.

Lucæ viro clarissimo. 421

Libertatis loquendi, & impudentiæ discrimen. Conf. epist. 453.

NEc loquendi corripiendique libertas est impudentia appellanda, vti nec impudentia libertas: sed illa, dum errantes scitè ornateq; corripit, libertas; hæc dum rectè faciẽtes iniuria afficit, impudentia est dicenda. Illa

*namque medicæ arti persimilis est, hæc pestilentiæ; quòd illa infirmos sanitati salutique restituat, hæc rectè valentes conturbet.*

*Cyro Presbytero.* 422

De Sacerdotij præstantia.

Conf. epist. 268. lib 2. 234. lib. 4. 219.

*TAmetsi sacerdotium omni sit regno sublimius ac dignius, nō tamen ad ipsum promotos oportet propterea se super alios efferre, sed reputare, decentissimū conuenientissimumq; illius ornamentum esse humilem modestiam cum discretione: simulque cogitare, ipsum quidem omni humano honore & dignitate eminentius esse, è Dei tamen gratia & institutione hoc sese non aliter quàm vt alijs præsint accepisse, in quod proinde eos nefas sit per tyrannidem aliquam iniurios esse.*

*Harpocræ Sophistæ.* 423

Monet vt suo exemplo amicos reconciliare studeat.

*NOui aliàs duos fratres germanos, vsque adeò inter se dissidētes, vt eos etiam, qui ipsos ad amicitiam & pacem ineundam cohortari auderent, inimicos ducerent. Ego verò*

(oportet enim dicere quod res est) parum prosperum rei huius successum auguratus, initio quidem illos compellare cunctabar; postea verò cùm id pusillanimitatis signũ esse duxissem, meque ad hoc ipsum omnimodo faciẽdum essem cohortatus, rem etiamsi optato successu & effectu carere deberet, sum aggressus; cumq; eam laboriosam & difficilem esse putassem, tamen, etsi illos etiam improuisò adorirer, adeò facilem reperi, vt etiam nullam velitationem, præambula, insinuationemuè me ad eam opus fuerit adhibere. Satis namque ijs fuit, me vel loqui incepisse. Noli ergo & tu ad ipsam rei difficultatem attendere, sed animosè certamen ingredere & capesse: nam fortassis nullus planè hic tibi erit labor subeundus.

Eidem. 424

## Spiritualis nostra militia quomodo instituenda.

CVm acies militaris continentiam, obsequium, ordinem, & peritum ducem habet, tunc hostibus ipsis terribilis & timori est, ac sæpè etiam ante conflictum & audacẽ manum in consertionem trophæa constituit, inimicis vltro suppliciter pacem deprecantibus, et

*legationem mittentibus. Cum verò hæc omnia adhibere ipſi contra dæmones debeamus, nec adhibeamus (neque enim iunctim nos contra illos, ſed vnà cùm ijs contra nos ipſos inuicem belligeramus) nihil ſanè mirandum nos ſuperari; ſed illud potiùs mirandum, quòd cum eorum quæ vincentes facere par eſt, nihil faciamus, vincere velimus.*

*Archontij filijs.* 425

Hortatur ad amicitiam, & concordiam mutuam.

*EVtonium virum optimũ ad vos miſi, vt vos de pace ineunda & reconciliatione, compellaret. Vos ergo primùm decorum; ſecundò vos ipſos; tertiò me, qui in ijs, quæ impetrare fas eſſet, vobis nonniſi conſulo; quartò, eum qui tantùm vos reconciliandi cauſa ſubire laborem non eſt dedignatus reueremini, omneque odium & diſſenſionem exuentes, non grauatè inuicem reconciliemini.*

*Zoſimo Presbytero.* 426

Conf. epiſt. 532. Mali ab Eccleſiæ communione ſeparandi.

*ETſi in hoc ſæculo, vbi omnia nimis quàm tenuia ſunt, vt contra tuã in malo obſtinationem & ſtuporem clament, admittantur ij, qui eadem non faciunt; in altero tamen exa-*

cta fiet disquisitio & iudicium. Olim quidem, cùm Ecclesiæ Doctores, ob optimam vitæ rationem etiam diuino spiritu clarebant, peccantes etiam hic excommunicabantur, cùm verò resipiscerent, rursum in sacrum Ecclesiæ cœtum cooptabantur. Nūc verò (nihil tamen acerbum dicere volo) nihil non impudenter audent, & nullus est qui se opponat; sed virtutis cultoribus sunt graues, peccantibus verò lenes ac faciles: illos namque torpidos reddere satagunt, hos verò ad maiora etiam flagitia committenda conducunt et instituunt, præsertim cùm opibus abundant. Noli ergo computare te, eò quòd Eusebius (qui nescio quomodo, te ordinauit, cùm omnis virtutis sit hostis) te ad summum improbitatis grassantē ac tendētem ab Ecclesiæ cœtu & communione non excludat, nullum in altero sæculo propterea supplicium passurū. In tantum namque & illum, & te vindicta et iustitia diuina consequetur, quantum hic ea longanimiter vos exspectans nihil profecit, sed neglecta fuit, & propter vos etiam calumnijs proscissa.

*Palladio Diacono.* 427

Laborem quies comitatur.

EVm qui tui ad instar, laborem nullum suscepit, nefas est dicere, quiete aliqua opus

*habere requies namque post exantlatos labores sequi amat: sine his namque mollities & delitiæ potiùs, ea appellanda. Eos enim qui labores subierunt omnino oportet quiescere; qui verò non laborarunt, dissoluti & desides appellandi. Quocirca, quamdiu sudores & labores non suscepisti, etiam ab ipso quietis nomine tibi abstinendum est.*

*Ausonio Correctori.* 428

Conf. epist. 416. Ignoscendum aliorum delictis.

T*Ametsi leges eum, qui contumeliosè in te inuectus est, comprehensum & conuictũ in tuam potestatem ac manus redegerint, vt meritas ab eo pœnas reposcas: tu tamẽ (es enim maior, quam vt vlla iniuria & contumelia mouearis, vnde & philosophiam, cum legitimo imperio coniunxisti) posteaquam nonnihil eum commonueris, veniam dando, eum meliorem reddito. Punire namque facillimum, & nullius non est; at ignoscere, illorum tantum qui tibi similes sunt.*

*Esaiæ.* 429

Monet vt à peccatis quorum veniam ante nactus fuerat, tandem desistat.

V*Ideris, eò quòd semper eorum quæ commisisti, veniam consequaris, hinc iam didicis-*

*didicisse etiam cõmittere ea, quæ maiora sunt, quàm vt veniam commereantur. Itaque temperantiæ fræno adhibito temetipsum retinere stude, ne in præcipitium ruas; et noli ipsam veniæ indulgentiæque medicinam frustraneam & inutilem reddere, ne te, velut mente penitus destitutum, & doloris omnis expertem diuina tandem vltio inuadat.*

Ophelio Grammatico. 430

Scire est semper causas cognoscere. Arist. Analy.

A*Etiologia*, idest causæ expositio, & *demonstratio, potissima scribentis & docẽtis virtus est. Neque enim satis est, ostendere & confirmare, rem aliquam esse, sed demonstrandum insuper (siquidem fieri possit) quare sit. Hoc namque verè est scire, rem cum & propter causas scire.*

*Sereno.* 431

Rerum metuenda vicissitudo. Conf. epist. 495.

N*Oli, vltrà quàm naturæ necessitas, & mediocritatis termini exigant à rebus secundis & prosperitate te abripi sinere: sed vbiq; et semper cõditionis humanę memor esto,*

*& rerum vicissitudines considera, quæ vno sæpè die eas conuertere, & in contrarias prorsus immutare possunt. Sic enim, & alijs carus eris, & prosperitas tua firma et stabilis: nam si fortè aliqua obueniat mutatio, nihil inde mali patieris, vtpote qui egregios prius tibi benignitatis & humanitatis thesauros collegeris.*

*Sereno Diacono.* 432

Iustitiæ est proprium scelera punire.

*IVs iniustis iustum irrogat supplicium, & haud dubiè etiam irrogabit: porrò non debet ius esse iniustum, vtpote quod omnia ex æquo & iustè exequitur, & iustitiæ maximam curam habet.*

*Didymo & Heroni Presbyteris.* 433

Ioan. 3 20. Non mirum malos bonos oppugnare. Qui malè agit odit lucem.

*MIrum certè non est, bonos ab improbis oppugnari; imò contrarium potiùs mirum esset, videlicet si non oppugnarentur. Nã licet id valdè absurdum videatur, ac ne quidẽ verbo dicendum, nec reipsa tolerandum, nihilominus debitè & rationi consentaneè fit: tenebræ namque luci contrariãtur, & fures nonnisi*

*lucernis extinctis ad furandum se accingunt. Nam quòd ab illorum agendi viuendique ratione vitam suam redargui opinentur, hinc ipsos subuertere & supplantare satagunt.*

*Theoni.* 434

παράδοξον quid.

I*D paradoxum, & opinioni communi contrarium est, vir optime, quòd opinione, quæ inualuit, melius, & à consuetudine & vsu vulgari alienum est.*

*Leontio Episcopo.* 435

Mali superbique sacerdotes coercendi.

N*Ihil vir optime, virtuti tuæ absonum & indecens, nihil ineptum, quãtum in te est fieri inducique patiare: sed ijs, qui in sanctionibus & ritibus Ecclesiasticis quid noui inducere moliuntur; dicito, illos cùm hic tum in futuro, ploraturos, nisi ab hac innouatione desistant. Quemadmodum enim præter rationem sese extulerunt ex inconsiderata quadam audacia potiùs quàm ex iusta dignitatis suæ consideratione ac ponderatione ad id aggrediẽdum incitati: ita quoque secundum rationis præscriptum iterum deijcientur. Imbecille namq; semper est,* quid-

*quidquid præter dignitatem est, & quæ ex indiscreta & incōsiderata quadā audacia se efferunt & sustollunt, stabilia non sunt, sed citò immutantur, nisi cum virtute peragantur.*

*Zosimo Presbytero.* 436

Conf. epist. 437. 440.

Iniqui arguit sacerdotij.

DEploranda sanè res, hominem delicijs ac libidini immersum sacerdotio quomodocumque initiari: illud verò omnium maximè deplorandum, quòd ea quæ impiorum sacrilegorum sunt facias atque ex eo quòd sacerdotiū habere videaris, gloriam affectes & captes.

*Eutonio Diacono.* 437

Conf. epist. 103.

De Zosimi vitijs.

MEritò tu quidem miraris, quomodo miser ille Zosimus, tam auidè ac promptè mala quælibet patret; & quomodo vinculum hoc adeò nexum & colligatum sit, quod quia nō dissecat, hinc in absurdissima quæque operafertur. Alij verò id minimè mirantur, sed initio semel corrupto, necessariò nequitiam crescere debuisse arbitrantur. Tacent enim non sine ratione eum seruo patre natū esse. Multi quippe ser-

pe serui, moribus meliores sunt ijs qui conditione videntur esse liberi: sed eius postquam ex ephebis excessit, conuersationem carpunt, vt poete quæ omni est nequitia referta: vnde & illa in vitia propensio ac procliuitas vnà cum ipso in virilem ætatem adoleuit, & in habitum quemdam abijt improbitas. Mirari ergo desine, sed potiùs sanctis purisque precibus tuis auxilium & curationem ei cælitus postula: forsan enim sic resipiscet.

## Nilo. 438

Moderate laudare oportet, ne extollas nimijs laudibus.

Conf. epist. 336. 337. 338. 410. 411. 439.

QVamuis ambitiosi et honoris cupidi laudibus potissimùm moueantur (laudes namque plus sitiunt, quàm potum) eas tamen moderatè depromere, nec nimias contexere oportet. Multi namque nimijs laudibus & encomijs eneruati & dissoluti, suam quoque ad labores propensionem ac studium remittunt.

## Agathodæmoni & Ophelio Grammaticis. 439

Miscendum vtile dulci in scriptis.

CVm declamationes et adhortationes vniformes, nec variatæ, incuriorum animi

neruos

*neruos quodammodo præcidant (omnis quippe schematis ac formæ variatio illis iucunda & amæna esse videtur) ipsa scripta oportet accurratione simul, & delectatione quadam insinuatiua temperari. Delectatione namque qui serij ac studiosi sunt, nihil offendentur; ex accuratione verò, quæ delectatione & insinuatione quadam temperetur, etiam summè negligentes plurimùm commodi capient.*

*Theodosio.* 440

Conf. ep. 2. 437. De Zosimi iterum vita vitiosa. Precibus itaque Deo commendandum esse.

EX *ijs quæ audio intellexi, te cùm de rebus admodum antiquis & dudum præteritis non loquaris securè & tutò accusationẽ aduersus infelicem & scelestum illum Zosimũ instituere, cùm tempus tibi ad falsa dicendum et mentiendũ non adminiculetur, nec immutet. Habes namque opera ipsa recentia, quæ rem testentur. Verùm non tam ad eum accusandum exacuere te linguam oportet, quàm ad eum deplorandum, et pro eo orandum. Accusatus enim etiam ampliùs (vt verisimile fit) ad malè faciendum incitabitur; at si deploretur, forsitan respiciet ac resipiscet.*

*Zosimo.*

*Zosimo.* 441

Gentium mores cum nostris collati. Conf. epist. 164.

M*Vlti, bone vir, qui apud Ethnicos morali virtute claruerunt, iam omnium linguis celebrantur. Imò ne si quidem illi inertes semper atque ignaui pro more fuissent, nos Christianos propterea conueniret virtutis curam ac studium deponere vel intermittere. Nam quod inter illos & nos interuallum & distantia est, quod sanè non exiguum est, nobis, siquidem peccemus, veniam negat.*

*Macario Episcopo.* 442

Orator non semper persuadet. Conf. epist. 120.

S*I oratio tua, quæ talibus vsa verbis est, vt & inanimem ea flectere naturam possent, implacabilem illam belluam in seipsam efferascentem, flectere & emollire non potuit; satis ostendit tam persuaderi, quàm non persuaderi, in ipsismet auditoribus, ob ipsam arbitrij libertatem, propter quam & iudicij ratio magni facienda est, situm esse.*

*Marty-*

*Martyrio.* 443

Animus instabilis vtraque sorte mouetur sapiens non item.

GAudium & tristitia homines facilè mobiles & inconstantes, à debito decentiq; mentis statu facilè deijciunt; illud namque eos effert, & velut ebrios & insanientes reddit; hęc verò deijcit, & timidos facit. At vice versa, constantes bene constabilitos, & super prudentiæ fundamentum solidè fundatos, neutra harũ à decoro cogit recedere; illius namque elationes & exaltationes ratione, velut fræno quodam, compescunt; huic verò nequaquam succumbunt, dum quidquid immoderatum ea habet, cohibent ac refrænant.

*Agathodæmoni.* 444

Conf. epist. 213. 233. 265. 508.

De tribus dicendi generibus: summo, medio, & imò, ex Homero. Vitam oratione magis persuadere.

AVdi nouum quid vidi: quod qui accuratè in rem non inquisierit, haud facilè credet. Tribus enim amicis super vna eademq; re quempiam simul commonentibus, is qui omnium

nium putabatur disertissimus, illum dicēdo offendit; qui minùs dicendi gnarus nonnihil inflexit & emolliuit; tertius denique, de dictione & phrasi parum sollicitus, persuasit & euicit: & tantum imperitus hic effecit, quantum disertissimum efficere oportebat, & id eloquentissimus passus est, quod imperitissimus pati debuit. Adeò vt cùm interrogaretur ille ad quē legati hi missi erant, dixerit, ad dicentium & exhortantium mores se non ad verba attendisse, & vitæ ratione persuasum se, non eloquentia. Itaque si vita verbis, si mens linguæ præstat ac præualet, mens primò, dein lingua est excolenda. Si id ita factum esse neges legationem illam Homericam, quam semper in ore habes, quæso considera: in ea namque Vlysses Ithacensis, qui erat disertissimus Pelidem Achillem dicendo magis exacerbauit; qui verò minùs disertus erat, pædagogus inquam eius & institutor, eum nonnihil mitigauit. Aiax denique Telamonius, qui omnem in dicendo ornatum neglexit; ei planè persuasit. Et tantum dicendo potuit Aiax; quantum posse debuit Laertæ filius Vlysses; et hic id passus est, quod Aiacem pati oportuit.

Zosimo

### *Zosimo Presbytero.* 445

Conf. epist. 223. Virtutem colendam hortatur, quam proposita etiam pœna se sectari malle testatur, quam vitium proposito præmio.

*APertè quid sentiam, dicere volo. Si verò quòd dicturus sum, alicui hyperbolicè dici videatur, equidem non moror: etenim virtutis sectatores ei, quod dicam suffragabuntur. Dico igitur, si virtutem quidem pœna, improbitatem verò laus & præmium maneret; malle me pœnas dare virtutem diligendo, quàm coronari vitium sectando. Adhæc, improbitas, etsi coronas daret & conciliaret omni mihi supplicio & pœna videtur acerbior; virtus verò, quamuis pœnæ expers non esset, honorificentior. Hæc ergo hyperbolica, vt quidē eam vocarent nonnulli, quam dixi, sententia sic se habet, & satis habeat. Porrò si quidem virtutem corona, improbitatem verò supplicium & pœna omnimodo maneat, equidem libenter te interrogem, quid sit quod te, vt in nequitiæ barathrum te conijcias, impellat?*

Palla-

*Palladio Diacono.* 446

Monet vti caueat, ne in eadem vitia incidat, quæ in altero reprehenderat.

*CVm Zosimum in litteris tuis homuncionẽ nequam, detestabilem, adulterinũ, et nescio quibus non infamibus nominibus nominasti, verùm quidem dicis; timui tamen, ne & ipse pòst paulò talis reperiaris. Nam vt referunt quidam, talia tu iam agere cœpisti, qualia ipse committendo, in incurabilem duritiem & indolentiam tandem incidit.*

*Mosi Diacono.* 447

De diuitijs.

*DIuitiæ vnum solùm mihi in se continere bonum videntur, quòd eas maximè diligentibus incredibilia adferant pericula.* Conf. epist. 450.

*Zenoni.* 448

Hermogenis Episcopi laus.

*QVod paucis de per omnia optimo viro Hermogene, qui verè Episcopus est, dicere proposui, hoc est: nimirũ eum, cum* Conf. epist. 358. 466.

*virtute etiam valdè probos tot partibus antecellat, quot hi alios omnes, ita nihilominus de se sentire, ac si nihil omnino præclarum ageret. Vsque adeò necessarium existimauit, humilem de seipso sensum, velut arcem ac munimentum, reliquarum virtutum omnium, habere.*

### *Eutonio Diacono.* 449

## Bonorum malorumque dum laudantur, discrimen.

*SIcuti ipsa condemnatorum vita, cùm proba ea & virtutibus illustris est, quædã ex obiectis criminibus per se refellere, & fidem ijs abrogare solet: ad eumdem modum, cùm eorum qui laudati ab alijs sunt, viuendi ratio in se improba et flagitiosa est, facit vt etiam laudes quædam incredibiles fidemque superare videantur. Etsi enim plerique hominũ qui nihil laude dignum facere volũt, calumnijs quidem lætentur, laudibus verò eorũ auditis indignentur (illas enim etiam contra de se dici existimant, has verò numquã se adepturos sperant) tamen viri virtute præditi, dum probos, etiam ijs in rebus quarum ipsi conscij nõ sunt, calumnijs proscindi audiũt, etiam ante earum inquisitionem & cognitionem ab obiectis criminibus eos absoluunt; malos autem, si ad gratiam laudentur,*

*dentur, laudibus indignos existimant, cùm non tam iuxta dicta, quàm facta & opera, iudiciũ ferant. Quocirca nec boni, dum conuitijs impetuntur indignentur (dicta namque nihil ad illos spectant) nec mali, dum laudibus afficiuntur exultent: encomia namque illorum, aliena sunt, & aliorum.*

Heraclio. 450
Quæ veræ diuitiæ sint.

*QVàm multi, cùm plura æquo concupiscerent, omnibus exciderunt; cumque superuacanea corraderent, etiam necessaria amiserunt, et legitimos excedendo terminos, etiam mediocri statu priuati sunt? Quapropter superflua omnia resecanda sunt, vt necessarijs ditescamus & abundemus. Maximæ quippe diuitiæ sunt, non diuitias habere, sed diuitijs non indigere.*

Eutonio Diacono. 451
De Eusebij Episc. Pelusij moribus. Conf. epist. 470.

*NOn idem est, vir admirande, in suspicionem venire, & in ipso facto deprehendi: illud namque etiam de eo, qui rem non fecit, dicitur; hoc de eo solùm qui iam deprehensus est. Quòd porro Eusebius (vti ais) eos qui sine*

*causa & immeritò in suspicionem vocati sunt, & calumnijs proscinduntur, proscribat, deprehensos verò in facto, ad maiorem dignitatem euehat, partim ex assentatione, partim verò ex auri cupiditate, noli mirari. Nam siquidẽ alia omnia ad rationis præscriptum faceret, forsan & isthuc corrigeret; at cùm omnia illa quæ fieri nefas est, faciat, hoc certè ab eo fieri cùm id moribus ipsius dignum sit, nemini certè nouum aut mirum videatur.*

*Paulo.* 452

Conf. epist. 380. Vni vacandum arti.

QVi multas scientias vel artes didicit, hic etsi alioqui inter omnes homines ingenio præcellat, singulas per omnia perfectè nõ callet, cùm tempus, quod primæ artis exercitationi accurationique impendi debebat, alteri ediscendæ impensum sit: sed esto in eo quòd multas norit, præstet & excellat, contrà tamen à singulis eorum qui vnam tantùm perfectè didicerunt, superatur. Quamobrem, nec tu simul omnia scire velis; inde enim fit, vt nihil in vnaquaque arte perfectè exacteq; sciatur sed in vnum dumtaxat scopum collimans, illuc oculum mentis tuæ diriges; sic enim quod spectas, consequeris.

*Eidem.*

## *Eidem.* 453

Aliena peccata verecunde perſtringenda, ne alios purgaturus ipſe linguam contamines. Conf. ep. 17. 421. 507.

*BOnam grauemque habere oportet linguã, quòd qui in nequitiæ barathrum prolapſi & abſorpti ſunt, inde ſint verbis educendi, abſurdiſſimum porrò videtur, alios erigere ſatagentem, ipſummet cadere: vt autem hoc non fiat, ipſam rerum turpitudinem verborum debet grauitate tegere ac velare; ne dum illos perſtringere cupit, ſuam ipſe linguam inquinet, & aliorum ſordes & inquinamenta auferre conatus, ipſe commaculetur. Quòd ſi obijcias, fieri planè non poſſe, vt quis modeſtus ac grauis in verbis ſit, & ſimul auditorem perſtringat atque increpet; reſpondeo, eum qui moderatam ac modeſtam reprehenſionem vilipendit, etiam immoderatam & nulla conueſtitam honeſtate verborum contempturum. Etenim ſi nec ipſa dicentis lenitas, nec verborum grauitas ac pondus apud eum proſint, certè nec nuda factorum prolatio & proderit aut perſuadebit.*

*Agathodæmoni Grammatico.* 454

Mart. lib. 5. Epig. 79. De Mithridate rege, eiusque contra venena alexipharmaca.

*SAepè, quod quis ad sui securitatem ac defensionem excogitat, hoc maximarum ei calamitatum causa fuisse comperitur: vt verò alia omnia omittã, vnum, in quo omnia significabo, adferam. Ferunt Mithridatem, Parthorum, & aliarum plurimarum gẽtium regem, cùm ad magnã rerum potentiã venißet atque opibus ac sociorum auxilio potens esset, iamque ad summum humanæ felicitatis fastigium esset euectus veritum, ne quando veneno sustolleretur, antidoton & alexipharmacum quoddã sibi aduersus vim eius præparasse: postea verò, vertente & mutata hac prosperitate eò necessitatis redactum, vt venenum sui enecandi causa sumere debuerit. Quod cùm vi sua et effectu careret (nam quòd vti dixi, antidotariã quamdam aduersus omne venenum letiferum potionem bibere consueßet, ne quid aconita & venena sibi nocerent: hinc potionis huius vis et potentia ea fuit, vt venenum in eo vim suam exercere non potuerint) eum dein vnum è satellitibus & stipatoribus suis aduocasse, ac iussiße vt in pectus suum acinacem adigeret, ac se fe-*

*se feriret: qui eius iussis parens, eum sic è vita sustulit. Ita factum est, vt quæ illi futura vtilis videbatur, præmunitio ac præcautio, nihil prorsus ei profuerit, quòd enim vereretur, ne venenum sibi ab aduersarijs et inimicis aliquãdo propinaretur, ac propterea antidotis et medicamẽtis alexipharmacis assiduè vteretur; hinc postea cùm mori vellet, non potuit, vsque dum ferrum in viscera eius adigeretur. Nihil igitur huiusmodi moliendum est, sed simpliciter potiùs viuendum, & nostra omnia diuinæ prouidentiæ committenda.*

*Ampelio Comiti.* 455

Qui paruit rectè, bene imperat.

Conf. epist. 225. Arist. et Pla.

*NIhil æquè ad legitimè rectèque imperãdum valet, quàm legitimè aliàs paruisse: qui enim bonus fuit subditus, bonus quoque erit rector: qui verò, adhuc in vita priuata agentes, & dominari gestiunt, & ad parendum inepti sunt, hi sunt ad regendum ineptissimi.*

*Populo Pelusiaco.* 456

Præsidis seu Episcopi aduentum nunciat.

*IS qui vobis præest libenter gratanterque iniunctam sibi legationem suscepit: cùm enim iam dudum ad vos venire vestraque in*

meliorem redigere ordinem & formam constituisset ac voluisset, nostram super ea re sententiam & opinionem expectauit, qua demum intellecta, spõte potiùs, quàm vt vocatus, veniet.

*Theodosio Presbytero.* 457
Alecten commendat.

QVi has pietati tuæ litteras reddit, sufficienter iam in vmbra & apud semetipsum, quasi à magistro quopiam, exercitatus nõ mediocri quoque in ipsis virtutis certaminibus, robore, experientia et sciẽtia collectã, in solitudinẽ, & eremũ concedere propẽdet, vbi & Olympica præconia habebit, & Olympica quoad animam certamina subibit. Itaque ostende proinde illi, per ea quæ ipse facis, quæ ad certandum requirãtur, quæ certaminis sint leges & instituta, ne è palæstra & arena se subducens, ab intẽtione et scopo suo aberret, aut in medio certamine iam constitutus superetur; sed viriliter & egregiè se gessisse iudicatus, coronas & faustas acclamationes promereatur.

*Asclepio Sophistæ.* 458
Harpocram Rhetorem, cui ludus aperiendus committatur commendat.

HArpocras, morum potiùs, quàm verborũ magister, quique erga religionem Christianam

*stianam singulariter affectus est (nam nomine quidem Sophistes, vita verò perfectus est philosophus) qui etiam non tã gestit aut ambit multos habere discipulos, quàm eos in quibus virtutis argumenta notasque conspicit, in suum cœtum legit; denique qui non tam eos, à quibus mercedem accepturum se sperat, diligit, quàm eorum, quos studiosos & nauos futuros animaduertit, rationem habet, iam domicilium & vitæ genus mutauit. Cùm ergò ciuitas tua aliquo ludimagistro opus habeat, talem ei suggere: & hunc illa eligens, non aberrabit.*

*Isidoro Episcopo.* 459

Facienti & laboranti quantum in se est Deus fert auxilium. Conf. epist. 315. 327.

*QVi virtutem colit & sectatur, diuinum etiam fauorem in auxilium suum aduocare debet: at qui de illa minimè laborat, ne quidem Deum, esto eum imploret, facilem & beneuolum experietur: vt qui nonnisi omnia quæ in se sunt facientibus benignè propenseque annuit. Vt porrò quod dico, etiam per exempla manifestius fiat, equidem omittens dicere, ac petere, quomodò meretrix si quidem saluari velit, nolit autẽ castè modesteq; viuere*

*salua-*

*saluabitur? vnũ hoc dixero: Sit aliquis qui litteras et grãmaticè addiscere velit, præceptoris tamẽ ludũ frequẽtare nolit; hic deinde in grã-matisten*, idest litterarum ac grammaticaliũ doctorem, *in foro obambulantem incidens, dicat, fac discam litteras: an non illum statim liquidoque responsurum putat? Stulte ecquo modo discere eas poteris, qui nec præceptorem frequentas, nec stylũ aut tabellas habes, nec laborare vis? Si enim ad tuam hanc discendi cupiditatem & labor tuus, & opera mea accesserit, tunc demum aliquid fiet. At si velle te quidem dicas, non facias autem ea quæ volentes addiscere facimus quomodo discere quid poteris Tales porrò sunt, qui virtutem quidem expetere se dicunt, viam verò quæ ad ipsam conducit, ingredi recusant.*

Conf. epist. 115. 317.

*Heroni Presbytero.* 460

Sectanda ea quæ ad virtutem acquirendam adminiculo esse queunt.

C*Aue, quid alicuius pretij esse putes, quod ad virtutẽ non conducat, nec eos qui in illud studia impendũt meliores reddat. Ad virtutem porrò ducit, virtutis sectatores imitari, & cum temperantissimis modestissimisque hominibus, non verò dissolutis familiaritatem*

*contra-*

*contrahere; cum pacificis, & quibuscum versari vtile sit, non verò cum litigiosis & contẽtiosis. Sciendum namque imprimis, vitium quẽ faciliùs addiscere & assumere, quàm virtutem. Si enim virtutem addiscere facilius esset, oporteret certè illam alijs cõmunicare valentes, cùm pessimis hominibus conuersari. At cùm id perdifficile sit, longè sanè melius est, tutò agere, et omnino improbos fugere. Si enim illi nullam è probi conuersatione & commercio vtilitatem capiant, cur ipse damnum accipiat?*

## *Hieraci Diacono.* 461

## Animum quàm corpus excolere præstat. De bonorum societate.

NAtura necessitati & certis terminis astricta est; arbitrium verò & voluntas nostra, libertatem & liberam facultatẽ habet. Cur ergo corpus exornans, animam negligis? Vt enim sexcenta facias, corpus deforme numquam pulchrum feceris, animã verò ad summam pulchritudinem adducere, si velis, facillimum est. Et illud quidem, esto fieri etiam posset, inutile esset, & aliorum expositum inuidię; hoc verò & vtile, & extra omnem inuidiã, & supra obloquentium liuorem est. Si autem difficile & arduum existimes ad ipsum virtutis*

*apicem*

*apicem pertingere; noris tamen fuiſſe qui id egregiè præſtiterunt, & ex imo malitiæ barathro ad ſummum virtutis culmen euaſerunt. Si inquam hoc tibi arduum videatur, à vitio ſaltem abſtine, & viam ad virtutem conducentem ingredere. Etenim, te vel parũ tui diſſimilem fieri, noli vt paruũ & tenue quid exiſtimare. Id fiet, ſi nec ipſe mala facere, nec ea facientibus familiaris eſſe volueris, ſed bona ſimul & bonos frequentaris. Probos enim viros, ne quidem qui eos odit, fugere debet, improbos verò etiam is qui ipſorum amicus eſt.*

*Theodoro Auguſtali.* 462

Comitatem potius quam ſuperbiam, & faſtum imperantibus conuenire.

*NOn iactabundum, arrogans, & ſuperbũ ingenium, vt ipſe exiſtimas, Principes et rectores decet, ſed lene ac facile, & nemini non ſe ex benignitate accommodare. Illud namque ferinum & ſerpẽtinum eſt, hoc regium, et ſubditis longè vtiliſſimum. Neque enim Rectorũ & Principum faſtu, ſed prudentia res ſubditorum in meliorem ſtatum rediguntur. Ille enim tam ipſis, quam ſubditis periculoſus eſt; hæc vtriſque tuta & ſecura: illis quidem, ſi imperium ad ſtatum & mentem popularem vergere, eique ſe accommodare debere credãt; his verò, ſi*

*rò, si Principum bonitatem & facilitatem in amorem, qui timore potior sit, commutent.*

*Alypio.* 463

Theatrale vitandum studium.

Q*Vi Theatra perditè diligit, vir optime, etiã infamis fit amator. Illa igitur fuge, ne hinc amor in te quispiam oriatur. Satius namq; est morbum radices non agere, quàm iam radicatum euelli, quod alijs quidẽ perdifficile, alijs verò impossibile videtur.*

*Diogeni Diacono.* 464

Amici non deserendi.

C*Vm germana, syncera amicitia fiduciam quamdam & securitatem pariat, quorsum, quæso, eos qui ab amicis tuæ sunt fidei cõcrediti, in apertum discrimen coniecisti? sed fecisti id forsan, quòd ante synceram amicitiam numquam colueris, aut perfectus amicus numquam fueris.*

*Asclepio.* 465

Cedant arma togæ. Cic. 1. off.

Q*Vòd ostendere forsan velis, mundanæ sapientiæ ipsam militarẽ fortitudinẽ præstare hinc affers nobis oratorẽ, dicentẽ. Quantũ*

quod

*quod manifestum est melius est eo quod clàm fit; & honorificētius est, aperto marte vincere, quàm supplantando & ex insidijs; tanto honestius & præclarius fuit muros à Conone, quàm Themistocle, construi: ille enim clàm, hic verò id fieri prohibentes debellans, ea cōstruxit. Ego verò dico & respondeo, nec hanc, nec illam magni à nobis fieri, sed illam, nisi diuina scientia cohonestetur, nullius esse momenti arbitramur; hanc verò prorsus damnamus. Christus namq; iniurias ferre nos docuit, non inferre. Veram porro fortitudinem esse ducimus, res arduas ac difficiles nihil morari sed despicere, & generosè quæcumque inciderint sustinere. Si verò & cōtra oratorem illum aliquid dicendum est, dico equidem: sed qui, optime orator, sapientia vincit & superat, certum est eum vicisse; si verò contigerit eum & in bello superiorem fieri, etiā ampliùs; qui autem fortitudine sola vicit, non liquet, an & sapientia præualeat si armis superetur.*

Plutarchus in Themistocle.

Conf. epist. 474.

*Zenoni.* 466

Hermogenis Episcopi laus, & modestiæ humilitatisque commendatio.

Conf. epist. 358. 448.

HErmogenes Episcopus, bonus vir, siquis alius, est. Etenim in lege Christi educatus,

*tus, Apostolicis exemplis institutus, Episcopali autem dignitate digna & sentiens, & faciens eam gloriam sibi & laudem comparauit, quæ vnà cum tempore accrescit. Nam inuidia, quæ alios ex virtute vitam instituentes rectè et irretortis oculis intueri nõ veretur, hunc ob mansuetudinis & temperantiæ magnitudinẽ, respicere quidẽ ausa est, eius enim vigilãtia quæ ad gloriosissima et clarissima opera nata ac nutrita est, & humili de seipso sensu exornata, etiã ipsam inuidiã optima quæque destruentem ac corrumpentẽ subegit. Itaque si tu illius insistere vestigijs statuisti, in illum, velut in archetypũ quoddam exemplar intuendo, virtutem tuam modesta quadam & humili de teipso opinione confirma & sigilla: sic namque egregiam custodiam ac præsidium, & tutissimum signaculum, rectè factorum tuorum thesauro appones.*

*Heliæ Presbytero.* 467

Non pudor est nihil scire, pudor nil discere velle.

Conf. epist. 387.

*QVi docere quidem nihil potest, at discere vult non est omnino reÿciendus; at qui cùm nihil norit, etiã docere præsumit (in quo insignẽ et summam imperitiã suã prodit) nec discere quid poterit, opinione qua aliquid scire se putat, hoc impediente.*

*Sereno*

*Sereno Diacono.* 468
Superbi & elati deprimendi.

*QVòd ea super quibus disceptasti, & iudicio mecum contendisti, minimè obtinueris, sed apertè succumbendo, nūc gratia vt tibi fiat postulare videris, euidēter ostēdis, te sub gratiæ nomine, ea quæ iudicata sunt, irrita reddere conari: at si et iniuriam tibi ab eo qui rem iudicauit factam esse dicas (quòd enim iustè iudicio succubueris hic tacebo) hoc vnum dicam, eam sic iudicatam fuisse: neque enim sic iudicata fuisset (cùm iudex syncerus & prorsus incorruptus sit) nisi iustitia ipsa id exegisset. Verumtamen, & iam post victoriam gratiam tibi facio, vt qui neque initio contendissem tecum iudicio, si teipsum recognoscens, veniam à me postulasses. Etenim errantium, non tamen errare se putantium, fastus deprimendus est, resipiscentibus verò & pœnitentibus venia danda.*

*Heroni Remp. gerenti.* 469
Bonorum sodalitas grata.

*NOli, postulantis, & armentum relinquē-tis tauri ritu, à sacris te conuentibus & congregationibus segregare & subducere, sed maxi-*

*maximum quoddam ornamentum esse reputa cum sanctis hominibus agere & conuersari. Hoc namque non ornamentum modò, sed & securitatem tibi ac præsidium conciliabit, ne infernali belluæ præda fias.*

*Hermino Comiti.* 470

De Eusebij Episc. Pelusij erratis. Conf. epist.

*SI spissa vt scripsisti, & illunis quadã nox* 451. *sub Eusebio, rebus incũbat: supplicia nam-* lib. 1. *que statim post calumnias sequuntur, ita vt* 241. lib. 2. *nullæ ad veritatem indagandam dentur indu-* 50. 121 *ciæ, & delictis adhuc penè incognitis, statim* lib. 3. 97 *contra iniquè & contumeliosè accusatos sentẽ-* 178. *tia profertur; & falsò confictæ accusationes,* 367. *quæ nihil veræ reprehensionis in se continent,* lib. 4. 45. *insontes rapiunt, legibus ac decretis in dedecus cõfusionemque nequiter ac petulanter cõuersis. Qui enim assiduè apud eum agũt, illius mores vitæque rationem attentè considerantes, et suã ad eius normã componẽtes, à sontibus ac noxijs ad innoxios & insontes calumnias transferre non verentur; qui autem verè improbi sunt, hos ob munera, quæ abipsis accipiunt, insontes vice versa pronuntiant, qui verò, ius & facultatem deferendi habentem pecunia data corrũpere detrectant, hos inter turpissimos ac nequissimos*

*simos referunt. Quòd enim calumniosè aliquē criminari ac deferre fas iam passim sit, hinc illi quidem, quamuis grauissimorū sint criminū rei, auro castigationē & pœnam euadūt; hi autem cum non solùm puri ab omni crimine sint, sed & prærogatiuis multis abundent, ceu improbi capiuntur; quòd iniquos cōsiliarios & insidiatores auro vel non potuerint, vel noluerint sibi deuincire. Ad sacerdotiū porrò promouetur, non tam qui virtute sit plenus ac præditus quā qui opibus cùm abundet, dignitatem illam auro mercari decreuit, esto aliàs summè nequam sit. Ergo si qui hæc, & his plura maioraq; fecit nondum pœnas hic dedit, Dei prouidentiam, noli incuriæ damnare; at longanimitatem eius potiùs admirare, vtpote quæ lapsos ad pœnitētiam vocat; eorū verò qui nec resipiscunt, nec pœnitent, indolentiam, vtpote quę ipsos ad acerbissima tormenta conducit, deplora.*

*Eudæmoni Presbytero.* 471

Ad virtutem fortitudinemque hortatur.

QV*andoquidē tempus iā venit, quo quoddam virtutis specimen dandum est, & quod simul ostendet quantum animi magnitudine et generositate vulgo præstes; hinc contra te malitiosè initum consilium ceu lucrū quoddam reputa, atque vt tale suscipe, ac tempori*

*pori ad virtutem te vocāti pareas nihil, quod turpe, infame, & muliebre sit; agendo vel præte ferendo, sed maior quàm vt ab vllo tētationis incursu expugnari possis, videri satagēdo.*

*Posidoni Presbytero.* 472

Deum offendere summa est improbitas.

*DEum, qui illos honorauit, offendere, omni calamitate & supplicio grauius existimandum est: neque enim dolorem & cruciatū, qui è supplicio sequitur, tam fore grauem opinor, quàm grauis erit infamia ex eo, quòd eum qui ipsos, vsque adeò honorauit et glorificauit, offenderint prouenientes: præterea eos hæc ipsa arma, per quæ honorati sunt euidenter contra ea dantem cepisse, & honore aduersus honorantem apertè abusos esse, omnem insaniam longè transcendit. Illud namque incredibilem spirat dementiam, hoc incurabilem insaniam. Decet itaque eos, qui sacris initiati sunt, vti & Reges, ab omni tyrannica & turpi passione seipsos liberos & immunes custodire.*

*Maroni.* 473

Fugito peccata, & famam malam facile sedabis.

*OPera et facta vt plurimùm, fama sequitur: quæ si vera est, nō facilè, fortè etiam numquam extinguitur; at, si mendax, & ab*

*inimicis ex sola inuidia conficta, ad instar telæ aranearum, quamprimùm dissoluitur. A prauis igitur operibus abstine: si nolis, cum fama, quæ vbique de te sparsa est, expostulare noli, neque enim possunt è radice rami nō pullulare.*

*Isidoro Episcopo.* 474

Hominem iniquum, & iniuriosum admoneri suadet.

C*Redo equidem fore, vt si is qui suæ potētiæ confidit, è tua sanctitate cognoscat, quòd Deo laus, Ecclesia cœlesti auxilio firmiter corroborata sit, & leges confirmatæ nullus præter fas & æquum, pauperem in contumeliā Ecclesiæ, quæ iniustè oppressis manum auxiliariam porrigit, opprimere possit; imò verò à pauperis, aut potius suiipsius (neque enim tātùm qui iniuriam patitur detrimēti & iniuriæ capit (vt hoc per transennam dicam) quantùm qui illam infert) violatione abstineat.*

*Athanasio Presbytero.* 475

Virtuti potius veræ quam fucatæ orationi studendum.

N*Vper ex alijs audiui, nunc verò re ipsa cognoui, optimū te dicendi artificem esse,*

*vt qui*

*vt qui de rebus adeò absurdis & malis decorã & elegantem orationem texere potueris, at nõ tam is laude dignus, qui ipsam veritatem verborum artificio tegit & expugnat, quàm qui quod verum est vndè & sine vlla arte depromit. Quocirca hac elegantia & eloquentia omissa, veritatem sectare, & vitam tuam ad illius præscriptum directionemque ordina. Vt si enim homines circumuenire falsis dissertationibus potueris, & apud illos quàm maximè id faciendo lateas, qui tamen paralogismis, falsisque argumentationibus decipi nequit, Iudicem numquam decipies.*

*Martiniano, Zosimo, Maroni, Eustathio.* 476

Ad frugem bonam eos inuitat. *Conf. epist. 311. 445.*

INcidi nuper in virum sanctum, cuius officium & partes sunt pro lapsis et delinquentibus Deo identidem supplicare (nostis quem dicam) simul ex eo intellexi, vitam vestram perpetuarum ei esse lachrymarum occasionem. Erubescẽs namque ob ea, quæ passim ab omnibus de vobis iactantur, illum consolari volentibus sic respondit. Sinite me amarè flere, nec me consolari velitis. Deinde, vbi se nonnihil à deplorando collegisset, nescio quid meditans

*(neque enim incerta commemorare tutum est) velut numine quodam derepente afflatus, & oculis in cœlum conuersis, perinde ac si omnium rerum Dominum vidisset, exclamauit. Gloria tibi sit, ò Rex gloriæ Quantæ longanimitatis apud te pelagus est! Quantus malorum tolerantiæ thesaurus! Qui enim obscuris & inglorijs natalibus orti, clari & illustres propter nomen tuum euaserunt, hi honore cōtra te qui eos honorauit, abusi sunt, non audēda audent, & in sacrosancta iniurij sunt, maiora patrātes, quàm vt veniā consequātur. Quamobrem, si & ille qui pro alijs deprecatur ob enormia vestra scelera diuinam longanimitatem & patientiam velut consternatus obstupuerit, quis tandem pro vobis supplicabit, quis deprecabitur, quis patroni munere fungetur? Cognito igitur, quò malorum deueneritis, ab horrendis illis flagitijs committēdis abstinete.*

*Olympio, & Isidoro.* 477

Quis verè sapiens. Virtus cum doctrina coniungenda est: illa enim fructus, hæc foliorum instar est.

SApientem, illum statuo, non qui Poetarum rapsodias, Rethorum & oratorum elegantias, et Philosophorum subtilitates, vti ipse putas, assiduè in ore habet; sed qui mores debitè exco-

*excoluerit, vitamque prout oportet, composuerit. Huiusmodi namque virum minimè ab illis arbitror celebrari & dilaudari. Vbi namq; improbitas ad dicendi artem & eloquentiam accesserit, multò maiora & grauiora, quàm ipsa imperitia & inscitia, mala causari solet. Si verò quod dico, mirum fortè tibi videatur, testem dicti mei hic profero Thucididem, qui sic habet:* Imperitia modesta vtilior longè est industria cum libertate coniũcta. *Quamobrẽ si nequidem bonum ingeniũ, quod à natura accepimus naturalemuè dexteritatẽ, ille probauit (etenim damno id est, ipsum nõ rectè excolentibus & vtẽtibus) ob externã certè disciplinam & sciẽtiam, cùm mores & viuendi ratio dissoluta fuerint quasi alicuius ea sit pretij, vix commendationem meremur. At si ambo simul vni obtigerint, sapientia scilicet ac doctrina, idest mores et dicendi facultas, bene se habet: si autem alterutro carendũ, præeligendum certè quod melius est. Hæc porrò ita se habere, testabitur quoque, quem vel solùm in ore assiduè habendo, gloriaris, Plato. Ait enim.* Animas bene natas & bono donatas ingenio, malã verò nactas institutionem, extremè improbas fieri censeo; magnaq; flagitia, & insignem improbitatem è mala, non verò è iuuenili natura, quam

lib. 2. bell. Pelopon. in orat. Cleonis.

In Lachete, & 6. Politic.

quam educatio deprauarit, oriri; imbecillē verò tenuē & infirmā naturam, magna nec mala, nec bona aliquando producturam. *Ergo, si & historicorum principem, & philosophorum coryphæū, mores sermone, & vitæ rationē multiplici scientia potiores duxisse videamus, quid quæso, absurdi dico; cùm fructum folijs præeligendum esse dico? fructum enim appello virtutem, folia verò eloquentiam. Folia concussa & agitata arbori quidem aliquod ornamentum, & decus conciliant, fructus tamen solus est qui quæritur, propter quem etiam folia facta sunt: quæ & hinc fortaßе* φύλλα, *quòd fructum,* φυλάττουσι, *idest custodiant, appellantur.*

## *Eidem.* 478

Conf. epist. 482.

## De Zosimi, & sodalium vitijs.

Q*Væ nuper ad te scripsi, valdè tu quidem es miratus; ea tamen videris refellere, & contrà sentire, dum rescripsisti, quā ob causam Zosimus, Eustachius, & Maron, qui neque sermone, neque moribus compositi sunt, sed vtraque in re admodum inepti & imperiti sunt, adhæc, omnium fabula & ludibrium facti sunt; sacerdotio fungi videantur. Ego verò simpliciter & clarè apologiam meā texam.*

*Nam*

Nam siquidẽ ita de illis locutus eßem, vt virtutem institutione & doctrina omni potiorem duxißem, iure optimo me ad apologiam scribẽdam, meque defendendum compulisses: at cùm personarum nullam mentionem fecerim rem verò ipsam in se examinarim (adeò vt & ipse scriptorum venustatem simul & veritatem, vti scribis admiratus, maiores æquo laudes in me contuleris) quorsum, obsecro nunc homines qualitercumque vitam suam instituentes in medium protulisti, quasi nuper à me scripta sunt hoc pacto refutaturus? Neque enim, etsi sexcentis illi sceleribus scateant, & (vti scripsisti) iniquitatibus suis omnes superarint, oratio nostra, à veritate ipsa cõfirmata propterea falsa fuisse deprehendetur, aut subuertetur. Sed illi quidem iam tales sunt, atque vltra præsentem infamiam intolerabiles postea pœnas dabunt; veritas autem hinc magis elucescet, quòd hic à pauculis improbis sugilletur, imò per hoc ipsum multò illustrior reddetur, quòd videlicet aduersarios & osores suos infames eße declaret, amatores verò suos celeberrimos efficiat.

Eutonio

*Eutonio Diacono.* 479

Multi merentur nomen, idque non habent, & è contra.

*QVotnam putas homines sine vllo prorsus nomine & obscuros & inglorios in hoc mundo iam esse, qui tamẽ reuera multò illustriores & præstantiores fuerint ijs, qui omnium ore & sermone iam celebrantur? quia scilicet hi Poetas & Scriptores nacti sunt, qui quidquid gesserunt, non ex vero, sed è mero dũtaxat affectu & animi erga illos studio diiudicant, & egregiè facta in cœlum laudibus efferunt; illi verò, ob inuidiam (quam illustria facinora sequi semper solet) nullos præcones & celebratores habuerunt. Verumtamen, tametsi illi quidem, hoc in mũdo celebrati, hi verò obliuione pressi & sepulti fuisse visi sint; mundo tãdem confirmato, in altera vita eos, qui reuera illustres & gloriosi sunt, videbimus, cùm ipsa diuina iustitia non iuxta hominum opinionem & sententiam, sed è propria, quæ & sincera, & pura est, nullique affectui obnoxia, iudiciũ ferret. Noli ergo animum contrahere si cùm cœli sis ciuis & inquilinus inuidentium tibi & maleuolorũ linguas, mucrone recẽs exacuto acutiores, in te stringi sentias: imò verò, vel propter hoc ipsũ illustriorẽ clarioremq; futurũ te spera.*

*Eidem.*

### *Eidem.* 480

Virtutis studium præmij spe alitur.

*SCito; fieri nõ posse, vt quis in laboribus pro virtute suscipiẽdis iam inde à principio ad finem vsque constãter perseueret, si aliqua præmiorũ spes & expectatio huic sudori permixta nõ sit, quæ sine vllo dolore, & leuiter, & quodãmodo cum gaudio, ad finem vsque certaminũ hominem sensim deducat. Si ergo aliquem videris virtutis labores (qui prudentibus voluptates quædam & delitiæ sunt) fugientem, noris hunc bonam spem non habere.*

### *Eidem.* 481

De corruptis Cleri moribus.

*HOrrendum & valdè horrendum quidem est, ad sacerdotium nũc promouere. Horũ quippe alterutrum cõtinget: vt vel ordinatus, si iuxta antiquos & Apostolicos Canones vitã instituat, alijs sit exosus, & ab ijs, qui noxiam & malam consuetudinẽ quæ nunc inualuit velut diuinam quamdam legem seruant, & rectè viuẽtes proscribũt, insidijs petatur: vel vt manus tandem vitio det, suiipsius salutem negligat & alios plurimos vita sua scandalizet: ob quæ & grauissimas postea pœnas dabit. Felicissimum igitur est, numquam ad sacerdotium affectu propendere: si verò sine vlla propẽsione*

*& affe-*

*& affectione ordinatus quis fuerit, primum illum quem dixi scopum pro oculis habeat, & cũ libertate quadam loquendi antiqua & Apostolica facta gestaque renouet, nullatenus ijs qui nunc sacerdotium nundinantur, omniaque sibi & dicere & facere licere arbitrantur, in peccatis cooperando. Satius namque est, aliorum insidijs appeti, & sacerdotio indignum iudicari, quàm id genus hominibus connumerari & aggregari.*

*Lampetio Episcopo.* 482

De improbitate Zosimi sociorumque. Pro ijs orandum.

Conf. epist. 440. lib. 2. epist. 437. 440.

*NOn sugillare, sed deplorare, debes Eusebium, Chæremonem, & Zosimum, sceleratorum omnium, vti scribis, sceleratissimos, atque in malitia nemini concedentes. Si verò Eustathius & Maro qui illorum quàm proximè sectantur vestigia, cum illis minimè concurrere, & certare potuerint, sed & illis cedere hos constet; ad Deum orandum me conuertam, vt & illis, & his pœnitendi resipiscendiq; facultatem velut è machina quadam de subitò apparendo, dare dignetur. Forsitan enim etsi per hoc euadere non possint, vt tam turpiter, & tam sæpè peccato non succumbant, aliqua saltem*

*em hinc ipsis in grauibus illis tormentis alleuiatio, & consolatio orietur.*

*Theodoro Scholastico.* 483

Vt vires desint, voluntas laudanda. Conf. ep. 23.

A *Maximis vinci laudationibus turpè non est eos, qui paria dignaque ijs afferre verba non queunt, vti nec par est illis qui dignitate & statu inferiores sunt, in ijs quę facere ipsi pro viribus possunt, cōcedere. Qui enim laudare alium quidē intendit, at in eo deficiēs minimè potuit, eo saltem nomine laudem promeritus est, quòd id facere voluerit & intenderit. Quare si ineptæ rusticitatis infamiam euadere volumus, illos, quorū laus maior est, quàm vt verbis æquari & exprimi valeat, laudare conemur: satius namq; est eos, qui quoad verba succumbunt & superantur, ob rectā tamen voluntatis huius intentionē et conatū dilaudari.*

*Eidem.* 484

Belligerandi, & societatis bellicæ discrimen. Conf. epist. 285.

M *Vltò tutius est, bello omnino non appeti, quàm ab alijs in eo iuuari: illud namq; quietem tumultus omnis expertem adfert, hoc verò, sæpè cogit pugnare vnà cum ijs, qui aliàs nobis auxilio venerunt ( tametsi hi iniustum bellum susciperent ) & iniustam gratiam pro iusta rependere.*

*Ischy-*

*Iſchyrioni.* 485

## Spretis mundanis, & caducis cœleſtibus ſtudendum.

*TVm caliginoſam imaginariarum rerum vitæ huius obſcuritatem, tum diuinæ Philoſophiæ lucem, mihi videris ignorare. Vnde tibi eorum qui vtrumque reipſa & per experientiam cognouerunt fide dignum teſtem vnum neceſſe eſt adducere: nobis enim forſitan credere noles. Quemnam ergo fide dignum & ſufficientem putas? Vis, Salomonem in mediũ adducamus? Hic enim quamdiu rerum ſæculi huius amore et affectu tenebatur, eas vt maximas, & omni admiratione maiores reputabat, totamque ÿs curam & ſolicitudinem impendebat; nam & magnificas conſtruebat domos, aurum plurimum coaceruabat, diuerſos ſymphoniacorum choros ſibi faciebat, varia famulorum, menſalium & coquorum genera poſſidebat; adhæc luxum è veſtibus, hortorum ac pomariorum delicias, & quam pulchra corpora dant delectationem & voluptatem, lautè ſibi abundeque comparabat, omnem denique, vt ita dicam, ad oblectamẽta ac recreationes viã ſibi ſternebat. At poſtquã ſe inde, velut ab inſania quadã, paulisper abduxit, et quaſi è caliginoſo quodam labyrintho egreſſus clariſſimum*

*ſuper*

*ſuper cœleſtis illius Philoſophiæ lumen contueri potuit, tunc demum in ſublimẽ illam ac cœlo dignam ſententiam prorupit:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Si igitur ille, qui in tẽporibus magnam philoſophicæ vitæ perfectionẽ & accurationem requirentibus, natus non eſt, rerum omnium fatuitatẽ intelligere, magnãq; earum vanitatem cognoſcere potuit; qua nos digni venia erimus, qui quidem ad ſublimius philoſophiæ ac modeſtiæ faſtigium pertingere iuſſi ſumus, hanc tamen emittere cum ipſo vocem non poſſumus, ſed ita nos vmbris & ſomniÿs vndiquaque inuoluimus & implicamus, vt & ſalutem negligamus?* Eccleſ. 1.2.

*Lamprepio, Strategio, & Caſio.* 486

De quodam quem illi ad quos ſcribit, accuſare inſtituerant.

*ANne litteras, eò quòd in tempore ſuo non apparuerint, earum deſiderio victi accuſare decreuiſtis? credo equidem, non tamen ille accuſationem, quæ per ſilentium contra ſe corroborata eſt, vacuam & nudam inueniet; ſed ideo ſe & faciliùs & citiùs defendet, quòd corporis imbecillitas & inualetudo ſilentium illud cauſarit.*

*Nilo.*

*Nilo.* 487

Pro acceptis à parente beneficijs, liberis vicem referendam monet.

*NOsti, aliquem tibi, cùm orphanus ipse & pusillus esses, patris loco fuisse. Cùm ergo is ex hac vita iã excesserit, huius verò filij aliquo qui manum ipsis porrigat, & orbitatem suam subleuet & soletur, opus habeant, rectè haud dubiè feceris, si & tu ipsis patris loco fueris, eam quam pater ipsorum in te, beneuolentiam in filios eius ostendendo.*

*Maroni.* 488

Conf. epist. 142. & 545.

Diuitiarum nulla satietas.

*ETsi auri cupiditas omnem penitus pœnã paruifaciat, & nihil non arduũ & graue aggrediatur quò insatiabilem passionem suã exsatiet, tamen quòd neque dum ipsum possidet (esto omnium possessiones etiam acquireret) quietem aliquam consequatur, sed morbus hic semper adaugeatur, ac tandẽ prorsus incurabilis fiat; æquũ certè foret hanc cupiditatem tandem cessare, vtpote quæ hoc solum sectatur ac quærit, quod per multa etiam pericula ac pœnas inuenire non potuit. Nam postquã quis opes appetere desinit, tunc demum satietas sequitur:*

*quitur; sed quamdiu semper auidè eas conquirit, cupiditas ipsa semper increscit & exulceratur: cùm paucis contentus est, tum demum diues est; cùm plura concupiscit, pauper censendus est. Si porrò contrarium diuitiarum amatori contingere soleat (quod enim is appetit & quærit, consequi non valet) hanc ipsam passionem quantocius fugiendo, & opum satietatem, & recreationem, simul et honorem consequeris.*

Eidem. 489

Qui quæ vult dicit, quæ non vult audit.

*SOlent qui nihil boni de bonis loquuntur, nihil etiam boni ab alijs accipere; qui verò etiam detrectant & maledicunt, etiam mali quid audire.*

*Theodosio, Epimacho, Paulo Monachis.* 490

Continentiæ, & virginitatis discrimen.

*QVæ continens est, viri optimi, vicit postquam iam cladem passa est; quæ verò virgo, puram ab omni clade & subactione victoriam consequitur.*

*Zosimo Presbytero.* 491

Mortui lingua non lædendi.

V*Iui solent calumnijs incessi, cum iam defunctis etiam hostes conciliantur & fœdus ineunt. Cur igitur ipse & naturæ, & inimicitiarum terminos transgrederis, dum vita iam functum calumniaris & lacessis? nam putas quidẽ te solùm aduersus cinerẽ & puluerẽ linguam stringere; sed heus primùm ipsum sacrosanctum sepulturæ ius violas, quod tamen nemo non ambit & habere studet: deinde, habet is animam immortalem, cuius oculus ille peruigil & semper excubans vindex est.*

*Nilo.* 492

Locus, & tempus peccatum aggrauant.

E*Adem numero peccata, propter locum & tempus quo committuntur, grauiora in se fiunt. Verbi gratia, homicidium res horrenda est; at si in loco sacro committatur, fit magis horrẽda; si verò & tempore sacro; maximè horrenda. Quare si homicidium in se res mala sit, à loco verò & tempore malitiæ incrementũ accipiat, sic certe id maius et horribilius efficitur.*

*Paulo Hypodiacono.* 493

Nemo nisi à seipso, læditur.

N*Oli, vir bone, curare, ne quis tibi noceat; sed quomodo, tametsi quis velit nocere*

*non*

*non possit. Hoc porrò ex alia re non oritur, quàm ex eo quòd quis habeat quæ sibi satis sint, & plura habere non concupiscat.*

*Elisæo Monacho.* 494

Commendat ob virtutem & doctrinam quã ex Theodosij conuictu imbiberat.

*TAmetsi familiaritatẽ & conuictum tuũ cum sancto viro Theodosio tẽpus perbreuem fecerit, suscepti tamen à te calores id quod ex eo commodum & fructum accepisti, egregiũ & magnum reddiderunt. Nam tam celeriter, & in moribus, & in sacrarum litterarum cognitione te efformando, profecisti, & optimus in pingendo imitator factus es, vt nullum alium ille discipulum te potiorem et ducat, et habeat; &, tametsi ipse verbis non prodas quem magistrum habueris, id tamen ex ijs quæ agis satis superque liqueat.*

*Strategio Monacho.* 495

Rebus caducis animus neque extolli, neque deijci debet.

*QVisquis Philosophicè rerum sæcularium naturam considerauerit, eas nempe præterfluentibus fluminibus, fumo in aera dissipato, & apparenti vmbra nihilo meliores, sed & deteriores esse; is nec secundis aliquando se efferet, nec aduersis & tristibus deij-*

*cietur, sed in ipsa illarum mutatione, mentis et animi sui constãtiam integram retinebit. Qui enim bonis præsentibus affectu non adhærescit, ille ijs absentibus non contristabitur, nec animo deijcietur.*

*Zosimo Presbytero.* 496

Gulæ atque ingluuiei accusat.

S*I, vt referunt nonnulli, cum extrema paupertate aliàs miserè es luctatus, cur ergo nunc delicatam & lautam vitam ducis? Cur mensam instruis non ijs quæ domi nascuntur, sed ferculis tuis & missibus etiam Siculas delicias adijcis? Horum vnus, has tibi vt litteras exararem me impulit. Si enim multi, cùm delicatis ac splendidis natalibus nati essent, per philosophiam frugaliter vitam instituere didicerunt, è quo deinde maximum et commodum, & gloriam retulere, quomodo tu qui à pueris assueuisti tenuiter viuere, et tenuiter es ac frugaliter educatus, sic in contrarium relapsus es? Redi ergo ad dilectam tuam, & cui assueuisti, frugalitatem, ne & tibi hominum obloquentiũ procellas (etenim deliciæ contumeliam & probrum pariunt) & sacrosanctæ religioni nostrę dedecus & infamiam concilies: qui enim egre-*

giè in illam animati & affecti sunt, magnopere tibi succensent, quòd tuam ob ingluuiem illa malè audiat & sugilletur.

Theognosto Presbytero. 497

Qui verè sapientes appellandi.

QVicumque sapientiam, quæ omnia in se bona complectitur (vt omnium Dominus huius nomine potiùs, quàm alio quolibet nominari gaudeat, vtpote qui pluribus nominibus nominatur) prauum & vile quid esse existimant, audaculi, meo iudicio, sunt censores: sed qui eam quidem habere desiderãt, attamen labores quibus diuina sapientia comparatur adire recusant, ne è negligentia & ignauia quadam in postremis esse videantur, sapientibus inuidentes, illius nomen sugillant. Sapientes autem intelligo eos, non qui Platonis sublimitatem, Thucydidis grauitatem, & Demosthenis grandiloquentiam æmulantur, sed qui de diuinis dogmatis accommodè disserere ac de ijs dare rationem possunt, nec si fortè silentio superentur, id è propria ipsorum ignauia contingit. Auditores enim non tam dicentis imperitiam, quàm ipsius doctrinæ supinitatem ac putiscentiam carpunt.

*Alphio.* 498

In eos qui publica Ecclesiæ bona in priuatos loculos conuertunt.

*QVòd commodum proprium ac priuatum publico præponere, nemo non vt bonum & potius ducat, hinc Ecclesiæ res pessumit: contrà verò faciebant illi, qui in primæua maiorum fide nati sunt. Illi quippe propria in commune conferebant, nunc verò quidam communia sibi vindicando, et in domum suam auferendo, ex alienis incommodis & malis lucrum facere non erubescunt.*

*Nilo.* 499

Non est idem à grauibus irrideri viris, & perditis.

*A viris grauibus & modestis irrideri, graue est, à dissolutis verò & lasciuis, minimè molestum. Qui enim rectè de rebus iudicare nequeunt & in sententia ferenda errant, ea quæ omnem admirationem superant, rident.*

*Petro.* 500

Quanta diuersitas sit animi cœlestia meditantis, & eius qui circa terrestria, & mundana versatur.

*MAgna & generosa ille nequit concipere aut cogitare, qui parua & praua operatur:*

*ratur: cogitationes namque operibus responde-re & sequi solent. Nam qui corporalia & sæcularia identidem tractat, cœleste vel angelicum nihil cogitabit; qui verò cœlo dignam & conuenientem vitam viuit, ille seculares & ad vitam hanc spectantes res ceu nugas, inanias, vmbras & somnia reputabit. Vnde abiectus et pusillanimis meritò est appellandus, qui paruis ac tenuibus rebus gloriatur & insolescit; magnanimus verò, qui quæ verè magna sunt, ijs quæ talia esse tantùm apparent, potiora ducit.*

*Eutonio Diacono.* 501

Seipsum decipere omnium facillimum est.

*CVm multa facilia & obuia sint, nihil tamen adeò facilè, quàm à seipso quemque decipi: suum enim vnicuique consilium, magnũ esse videtur. Quòd enim homo res non considerET vt in se sunt, sed suam ipsius opinionem & sententiam totis viribus stabilire intendat, hinc quod mente vult, idem & ratum habet, esto res ipsæ in se sæpè aliter fieri iubeant, & reclament.*

*Vrsenuphio.* 502

Meticulosi timore fortes adulatione superantur.

*FOrtes & masculos animos exsuperat adulatio, imbelles verò prosternit metus: in*

*illis namque verba suasoria nihil vidētur posse facere, & vi carere, his verò metus nimis quàm impotens dominus est. Et illi quidem, quòd aduersarijs se dedant superantur; hi verò eo ipso quòd se non dedant se dedunt. Noli ergo putare omnes eodem medicamento & modo iuuandos: sed si singulis patientium passionibus & affectibus conuenientia remedia attuleris, tum demum illa te perfracturum & superaturum spera.*

*Palladio Diacono.* 503

Perstringit quod rebus bonisq; terrenis ambitionis, & gloriæ causa in speciem se abdicarat.

*SIquidem res temporales verè prout sunt in se, perspectas habeas, nihil tibi cum illis commercij esto. At si è vana quadā gloria illas oretenus quidem crimineris, eas tamen interim velut æternas complectaris, ne speres, te eos qui per has ipsas secùs & aliter à te edocti sunt, posse decipere.*

*Sereno Diacono.* 504

Honorari vis? honorem fugito.

*SI gloriam quæras, gloriam sperne ac tunc illam reuera consequeris: contentiosum quippe hominum genus est, & quò præcellat et prima-*

*primatum teneat, pericula ſubire amat; circa id verò quod vile & abiectum eſt, etiam cum voluptate quadam ſe ſubmittere ſolet. Vincere namque ſtudet eum, qui victoriam ambit & vincere conatur, at cum voluptate quadam vinci & ſuperari gaudet ab eo qui victoriam non deſiderat.*

### *Clero Peluſiaco.* 505

Βοήθεια vnde Græcis dicta.

V*Idemini ignorare quod ſit* τῆς βοηθείας *etymon: dictū verò id eſt à* μετὰ βοῆς θεεῖν (id eſt cum voce & ad vocem accurrere) *Atque ideo, quòd tardiùs acceſſeritis, & lentiùs iueritis, feram capere minimè potuiſtis. Qui auxilio & ope aliena indigebat, hic præda & opus crudelitatis inſidiantium factus eſt.*

### *Alypio.* 506

A teneris aſſueſcere multum eſt. Conf. ep. 9.

A*Pud filios, dum adhuc iuniores ſunt, primùm de Dei ſupereminentia & prouidētia, dein apud eos iam maiores de virtute, ſermo faciendus eſt; vt is, cum illis ceu accreſcens, & velut prouectior euadens, ipſos demum viros pios & Dei virtutiſque amatores efficiat.*

*Zoſimo*

*Zosimo Presbytero.* 507

Conf. epist. 453.

Vitia verecundè perstringenda.

*OPera tua vehementiùs quidem & acerbiùs traduci oportebat ( fortassis sic saltem erubesceres ) at cùm eos qui grauitatem profitentur, linguas suas sordibus tuis minimè coinquinare oporteat, hinc nonnisi quàm paucissima & decentissima dicam nempe voluptates subuētrales magnorũ malorum causas esse.*

*Theopempto Presbytero.* 508

Matth. 23.3. Conf. epist. 213. 233. 265.

Ad illud : Dicunt,& non faciunt.

*IIs qui contraria docere & dicere audent, quàm faciunt,nulla venia nec excusatio relicta est : etenim eos,qui nec faciunt,nec etiam docere gestiunt,leuiores dare pœnas par est;at eos qui his quæ docent gloriantur, quæ tamen dicunt non faciunt, grauissimas, nec vllam omnino veniam promereri.*

*Eidem.* 509

Bellum spirituale alacriter aggredi decet diuino fretum auxilio;neque enim in copiarũ multitudine semper victoria.

*SI etiam in bellis corporalibus,eos qui maioribus copijs sunt instructi,sibi non oportet*

*victo-*

*victoriam quasi iam certam polliceri (multa namque in his sæpè præter opinionem & spem euenerũt; & qui statim cessit seque dedit, bonam spem non habet; at obluctari & resistere hosti satagentem bona spes sequitur) multò magis eos qui in spirituali lucta versantur, aduersariorum potentia & numero non oportet consternari, sed eorum, qui aliàs vicere, multitudinem in mentem reuocantes, diuina fretos ope, in arenam & certamen descendere.*

## *Zosimo Presbytero.* 510

Conf. ep 79. 113. 181. 183. 210.

## De Eleemosyna.

*EO te crudelitatis et inhumanitatis venisse quidam referunt, vt & viam quæ diuinis oraculis planè contraria sit ineas: nam cùm illa iubeant, vt in eleemosynis erogandis vana non quæratur gloria, te tamen asserunt, ne quidem è vana gloria, ad nulla pauperum postulata & preces moueri ac flecti. Cùm ergo noris melius quidem esse eleemosynam facere in abscõdito, omnino verò nullas dare inhumanum & barbarum esse, mediam saltem inter vtrumque viam insistito. Præstat namque vtcũque et aliquid dare, quàm omnino nihil: hoc enim tandem à Deo castigabitur & punietur,*

*tur, illud verò, saltem à spectantibus hominibus præconium & laudem habet.*

Eidem. 511

P*Aucis contentum esse, & animæ prodest, et corpus sanum reddit: at nimia ciborum varietas et copia vtrique noxia est, illius quidem ingenium, huius verò valetudinem destruens. Porrò frugalitas etiam innatos appetitus comprimit, ciborum verò copia eos quoque qui præter naturã sunt, excitat. Delitiæ enim postquam ventrem implerunt, etiam subuentrales voluptates excitant. Quamobrem illa & vtendum est, hæc autem penitus proscribenda.*

Maroni. 512

Auari anima quibus fluctibus malisque exagitetur.

N*Emo nescit, mille tempestatibus auari animum iactari solitum esse; & certum est, in his nullam eum quietem, satietatem ac libertatem, nec aliud quidpiam sentire, vtpote quia ab hisce ventorum turbinibus raptatur, et in varia distrahitur. Quis ergo talem ambiat*

*vitam, in qua nil nisi scopuli, feræ bestiæ, procellæ, & fluctus occurrunt, mentis verò lætitia & pax longissimè exulant?*

*Esaiæ.* 513

Pauperes minimè contemnendi.

E*Sto tibi locuples videare, pauperes tamen, ceu expugnatu faciles & parum potentes noli contemnere ac despicere; idq; vel potissimum ob pœnam & castigationem, quæ iniquè agentes & in illos iniurios sequitur. Si verò hanc parum cures, ideo saltem ab illis opprimendis abstine, quòd scias, licet ipsi forsan iniuriam inferre & referre tibi nequeant, fieri tamen posse: vt te simul secũ in interitum pertrahant. Multi namque ad malè faciendum se conuerterunt, et non solùm ipsas violatorum suorum ædes funditus diruerunt & anima eos expoliare sunt conati.*

*Eidem.* 514

Sponte non coactè bene de alijs merendum.

M*Aximis laudibus & coronis dignos esse censeo eos, qui sine vllis scriptis obligationibus,*

*tionibus, ea quæ officij & debiti sunt fecerint, et innatos sibi igniculos et occasiones ad bene agẽdum per se excoluerũt, ad hæc suo ad virtutem impetu & appetitu liberè sine vlla coactione sunt vsi. Si porrò hæc ita se habeant, quam ij, qui post legem datam & gratiam acceptam labuntur, nec per eam incedere viam volunt, per quam maiores incesserunt misericordiam consequantur?*

*Anatolio.* 515

Vitanda improborum commercia.

*QVidam grauiter te insimulant, quòd cũ illis, quos ne aspicere quidem fas est, libentissimè colloquaris et quos turpissimum est alloqui, hos tibi familiares reddas; quos denique præsentes colere turpe & infame est, hos etiam absentes diligas. Si ergo hi vera narrent, tuum est resipiscere, sin falsa, id opere & reipsa ostende, vt sic ijs, qui tuis calumnijs & criminationibus lætantur, os obturemus.*

*Nilo, Petro, Paulo.* 516

De patientiæ bono.

*INiuriarum illatarum tolerantia animæ maximopere conducit: quam si ipsi vtilem*

*quidem*

*quidem esse sciuissem, difficilem tamen; permolestè sanè tulissem, me, dum si quæ in eo est difficultas, & labor (quæ tamen & facilis, & optima est) fugio & declino, vtilitatem rei amittere. Nam vltionem de iniurijs sumere, et perdifficile est, & operosum, animumque turbulentis motibus complet: modestè verò easdem ferre longè satius est.*

## *Ophelio Grammatico.* 517

### A spectaculis dehortatur.

Conf. epist. 185. 186. 463.

*SI spectaculorum amatores, in scena quidē dissolutè & molliùs æquo rideant, in Circensibus verò ludis plus quàm oporteat indignentur, in illa quidem à turpibus dramatibus et comœdijs effeminata, hic autem ob mutuas aurigarū contentiones velut ira rabiētes (nam Centaurorum rixas & prælia parum abest quin imitentur) quando tandem animo prout oportet constituti erunt, vel ea quæ viros deceant patrabunt? hos ergo oportet partim persuasione, partim coactione ab huiusmodi indecentia & inhonestate auertere.*

Lampe-

*Lampetio Diacono.* 518

Constantia, & grauitas, sine austera morositate laudanda.

*CVm quis, ò natiua sapientiæ imago, sine præcipitantia generositatem, sine iniuria rigorem; grauitatem quoque omni acerbitate carentem, adhæc temperantiam minimè crudã & inhumanam, sed inexplicabili quadam hilaritate mixtam in moribus præfert; tunc certè is, qui has ipsas, virtutes ab omni vitio quod ipsis vicinum est & velut cohæret puras ostenderit illustris & gloriosus erit.*

*Strategio Monacho.* 519

Improborum fraudes homini sapienti deprehendere facile est.

*ETsi non desint, qui & alios occultè decipere & cùm iam detecti et deprehensi sunt, fallacibus se rationibus & paralogismis excusare calleant; qui tamen Deum verè amat, is omnibus his superior & maior esse inuenitur; vtpote qui sapiens quidem est, ad fraudem intelligendam, sapientior verò ad eam, quæ in sermone & verbis latet vafritiem eludendam & refutandam.*

*Eidem.*

*Eidem.* 520

Non lingua tantum sed & mens excolenda.

*NOn ea solùm addiscenda sunt, per quæ qui acutus & ingeniosus est, summus dicendi artifex euadat, qui verò tardus & obtusior, aliquo modo perfectior, sed & illa per quæ animæ meliores reddantur; vt non solùm, eò quòd linguam suam nitidam ac puram reddiderint, verùm etiam quòd mentem exornarint, celebrentur.*

*Alphio Presbytero.* 521

Frustra persuaderi quibusdam. Conf. epist. 547.

*INeptum & impertinens est causam, cur ali. qui bene monentibus non auscultarint in ipsos qui persuadere ijs non potuerunt, transferre: præsertim cùm constet, hos adhibuisse & adduxisse omnia, per quæ quis persuadeatur.*

*Eidem.* 522

De gloriæ contemptu. Conf. epist. 504.

*NIhil gloriæ mancipio abiectius, nihil eã contemnente sublimius: qui enim nihil*

*magnũ domi habet, quo ſe iactet, per externam quamdam apparentiam magnum ſe & ſplendidum eſſe debere arbitratur; qui verò velut è proprio fonte pulchreſcit, & donis proprijs ſe iactat, externo nullo eget is additamento & adminiculo. Vnde illo quidem nihil miſerius, hoc verò illuſtrius nihil eſſe queat.*

*Alexandro Presbytero.* 523

Virtus laudatur, & alget.

Conf. ep. 44. 527.

QVanto præſtabilius eſt admirari quàm deſpicere, tantum mihi differre videntur ij, qui virtutem non eſſe virtutẽ arbitrantur, ab illis qui virtutem quidẽ virtutem eſſe dicunt, neutiquam tamen eam amplectuntur. Nam illi quidem iudicium deprauatum, & rationem non rectè valentem habere ſe euidenter oſtendunt; hi verò, ipſam laudando, eſto eam non faciant, optimè ſe de illa ſentire indicant.

*Maroni.* 524

Malè agens reprehendi non vult.

NEfas eſt, eos qui improbitatem ſuam hominum linguis vapulant, & traducuntur, ea proferre, quæ eos qui ob virtutem ſuam in inuidiam vocati ſunt, hoc tamen æquo animo

*mo ferunt, proferre licet. Quare vel illa facere cessa; vel, si non cesses, ea ne dicas quæ probos solùm dicere decet. Absurdum namque est eadẽ dicere, cùm non eadem sit, ob quam vtrique ad dicendum mouentur, occasio & argumentum.*

*Palladio Lectori.* 525

Fide, sed vide cui te doctori committas.

*NOli, carissimè passim, te credere omnibus qui virtutem se docere iactitant, neque enim omnes sunt, vt iis indiscriminatim credatur, aut eorum ratio habeatur; sed iis solùm, quos virtus operibus exterioribus patefacta, reipsa condecorat, nunc quippe docere te volo, non tam vt vni credas magistro, quàm ne promiscuè credas omnibus, qui magistri esse volunt.*

*Palladio, & Sereno Diaconis.* 526

Dei longanimitate non abutendum.

*SIc in hac vita nos geramus, non quasi diuina iustitia, si fortè ob longanimitatem eius non emendemur, se semper retentura sit; sed quasi omnino acerbiùs eos, qui ne quidem ob hanc eius conniuentiam meliorem vitæ rationem inire voluerunt, castigatura.*

*Heroni Episcopo.* 527

Conf. epist. 523. Virtus non tam prædicanda quàm exercenda.

*VErbis quidem virtutem extollentẽ, opere verò vitij deprædicatorem agentem, & proinde in scena agentibus similem, simulq; docentem quæ non intelligit, nec operibus confirmantem quæ sermone iactat, equidem moneo, non tam vt à virtute dilaudanda cesset (neque enim fas id est) quam vt vitio abstineat, & peccare desinat, vt vtraque è re laudem reportet ac celebretur.*

*Domitio Comiti.* 528

De modo seruando tam in cibo, & potu, quam in corporis exercitijs.

*SI, quod de corporis exercitationibus, quibus valetudo conseruatur, Isocrates admonuit*, has *dicens*, corporis exercitationes complectere, non quę ad robur comparandũ, sed valetudini tuendæ prosint: hoc porro fiet, si cùm laborare adhuc posses, à labore cesses; *tu ad cibos, potum, & alia omnia sine quibus vitam omnino ducere non possumus, transtuleris,*

Paræ. net. orat.

*leris, insignem hinc fructum & vtilitatem referes dicens.* Vtere cibo ac potu, non roboris colligendi, sed valetudinis tuendæ causa; hoc autem consequeris, si cùm adhuc edere & bibere amplius possis, ab edendo & bibēdo abstineas. *Si verò petas cur Isocrates dicat, non viribus parandis? Dico, eum non ad athletam, sed Philologum, & litterarū amatorem verba facere & commonere. Deinde, etiam ex huius oratoris opinione robur dum cùm prudentia coniunctum est, prodesse, sine hac verò, ipsum habentibus officere, denique illum ipsa exercitantium corpora quidē efformare videri, præcipuè tamen de anima curāda solicitum fuisse. Si verò oratorem hunc medicæ artis peritum fuisse, nec quid in hac re dicendum esset, accuratè nouisse, ac proinde aliena in arte non se legitimè conuenienterque iactare, dixeris; noris, & Hippocratem Coum cui nemo non libenter assentitur, docere, valetudinē per hoc, quòd corpus numquam cibo satietur, conseruari. Atque hac de causa, inedia & ieiunium non immeritò, mater dicitur sanitatis. Duo quoque viri sapientes dixere, hic quidem.* Ne quid nimis; *ille verò,* modus omnibus in rebus optimus est. *Vnde si & in cibis, & exercitationibus, quod modicum est modicum non* Epidē. lib. 6. 4.

*est ( nam ad sanitatem tuendam spectat ) caueamus, ne satietate & nimietate valetudinem destruamus.*

*Hypatio.* 529

Virtus in vtraque vtilis fortuna.

E*Tiam hoc in sæculo, vir optime (cùm in futuris spem & fiduciam non habeas) virtus, suiipsius cultores & sectatores, siue prosperitate, siue aduersitate stipata incedat, illustriores reddit. Nam in prosperitate agentes, clariores & difficultate aliqua ingruente, in ignobilem aliquam animi tristitiam incidere non patitur; facta illis in ornamentum, his verò in portum & securitatem.*

*Athanasio Presbytero.* 530

Ex se quisque de alijs iudicat, vt Zosimus solet.

O*Mnes, vt ita dicam, ex ijs quæ in ipsis sunt, de alijs quoque iudicium & censuram ferunt. Etenim iustus plurimos credit esse iustos, temperans temperantes, latro latrones, & homicida homicidas. Noli igitur mirari, si Zosimus, qui cæteros omnes iniquitatibus nobiles & insignes superauit, ex ijs quæ in ipso sunt, omnes improbos & malos esse opinetur.*

*Zosimo.*

*Zosimo.* 531

*ESto tibi incurabili insania laboranti, temperantes ac modesti insanire, & bene consulentes, desipere videantur, si tamen nonnihil ad te redeas, palinodiam certè canes, & longè aliter iudicabis.*

*Eidem.* 532

De Eusebio Pelusij Episcopo qui Zosimum ordinauit.

*TAmetsi tam tu, quàm qui te sacerdotio initiauit; tu quidem ex impetrandi studio, hic verò argenti cupiditate ebrius; tu quidem nomen hoc (neque enim rem ipsam dicere volo) mercatus sis, hic autem id vendiderit; tu tamen interea sacrarum te scripturarum lectioni applica, quæ verum sacerdotem te facient. Si enim illarum mandatis & decretis parueris, hoc ipsum quod nō prout oportet accepisti, debito modo tractabis, & administrabis.*

*Ammonio Lectori.* 533

Præstat hic laborare, vt isthic coroneris, quā deliciari nunc, & æternùm perire.

*NEscis, dolere & stomachari te ob illa ob quæ gaudere potiùs par esset. Quod enim*

*ignauiã redolet & ſpirat, labores deteſtatur, & non ſolùm coronas non adfert, ſed caſtigationẽ inſuper parit; at continuis in laboribus & ſudoribus viuere, præconia & coronas conciliat. Inter quos ergo numerari et cenſeri malles, an inter illos qui hic deliciãtur, poſtea verò pœnas pendent, an verò inter certantes quidem in hac vita, ſed in futura coronandos? Inter hos, credo equidem. Vnde ſi & tu hos conſecteris & æmuleris, laborem ne fugias, ſed decus & gloriam ſpecta.*

*Didymo Presbytero.* 534

Conf. ep. 510 De Zoſimi opinor, deſperata malitia.

*NE carpas eos, qui implacabilem illam feram, quæ in miſericordia præſtanda ſæuiſſima, in rebus turpiſſimis verò impudentiſſima eſt; hoſtium porrò in numero habet eos qui nec ex profeſſo & propria voluntate, nec ad imperium ipſius, in proximos iniurij ſunt, quantocyus fugiunt.*

*Valenti.* 535

Conf. epiſt. 356. 357. De ſacerdotio indignis.

*ILlos, qui præter dignitatẽ, & nullo ſuo merito ſacerdotalem dignitatem adepti ſunt, ſubeſſe*

*subesse et obedire necessariò oportet ijs, qui hanc ipsis indebitè contulerunt, tametsi ipsum ministerium & ordinatio in se ad Deum referatur. Vnde fit, vt dum inuicem iniusta hac ratione compensant, nō mediocrem ipsi, ad contra rectè viuentes insurgendum, & se armandos potentiam sibi comparent. Porrò siquis aut illos, aut hos criminetur, sacros ordines etiam impudenter exponunt ludibrio et rident (quod longè est quàm sic ordinari, acerbius & dolentius) mentiendo hæc Deum ita fieri velle, eò quòd ea fieri permittat.*

*Athanasio Presbytero.* 536
De Zosimi amicitia.

O*Mnium certè odium, ob impietatem illā quam Zosimus amicus tuus patrare ausus est, incurristi. Qui enim iniquiores, te operis huius minimè expertem & participem esse dicunt, qui verò benigniores, expertem quidem esse, sed cùm impedire potueris, noluisse: proinde, non immeritò omnium calumnijs te et maledictis proscindi, alij denique voluisse quidem impedire, at non potuisse. Verum ne hi quidem criminis te absoluunt, & inculpabilē pronuntiant; sed dicunt, esto hic fortè in facto non communicauerit, quia tamen viri talis*

*amicus*

*amicus extitit, haud dubiè se contaminauit. Quare neceßariò ſuggerendus tibi modus eſt, quo hanc infamiam à te propellas & deleas.*

*Eudæmoni Philippi F.* 537

Conf. epiſt. 108. Rerum cœleſtium cura potior, quam terreſtrium.

C*Vm non æqualiter docentium omnium vocem & doctrinam audiamus, ſed ijs qui ad carnalia & ſæcularia nos cohortantur, animum & mentem penitus applicemus, eorũ verò qui ad cœleſtem nos Philoſophiam vocãt, ne vocem quidem audire ſuſtineamus; hac de cauſa, illa quidem vt parerga, hæc verò vt operi neceſſaria & intima ducamus.*

*Heroni Presbytero.* 538

Conf. epiſt. 121. Laconiſmus laudatur.

T*Am in dicẽdo, quàm ſcribendo modus eſt adhibendus, nec mediocritatis termini tranſiliendi; niſi fortè audientium ingenij tarditas dicentem eſto inuitum pluribus vti verbis cogat.*

*Zoſimo, Maroni, & Chœremoni.* 539

Peccatoribus verè pœnitẽtibus parcit Deus.

E*Sto & grauia, et maiora quàm vt veniã mereamini, commiſeritis; ipſe tamen Iudex*

*dex in gratiam vos admittet, & commiſſorum veniam concedet, ſi ſincerè illorum vos pœniteat.*

*Hieraci Presbytero.* 540

De meticuloſis, & infidis commilitonibus.

*QVi ante pericula metu corripiuntur, & malum inſtans exſpectare nequeunt, ante rem ipſam temporis viciſſitudini ſe accommodantes; quomodò non vbi iam in mala ipſi inciderint, effeminatos ſe & meticuloſos oſtendent? Quamobrem ſi hi præſentes cum eſſent, ſocijs ſuis nihil profuere, abſentes certè plurimum ijs boni attulerunt, & quem hi è proditione illorum conceperant dolorem, abſentia ſua diſſiparunt.*

*Athanaſio Presbytero.* 541

Philoſophari quid.

*SI philoſophari non videri, vti ais, optimũ philoſophiæ genus eſſe arbitratus es, bene ſentis: at, ſi te ignaniæ applicare & inſtitutæ vitæ genus mutare cogitans, hoc ſolùm vanè iactaſti peſſimè certè ſenſiſti. Oportet namque rectè, ſincerè, & non ad pompam & oſtentationem, viuere. At ſiquis cùm reuera in ſe negligẽs ſit, hoc ipſum præ pudore apertè dicere veritus,*

*ritus, primùm quidem philosophari minimè videatur, postea verò omnino non philosophetur; is ad oculum ostendit, hunc meliorem esse qui deforis & exterius ostendere conatus est, quòd philosophari elegerit.*

*Danieli Presbytero.* 542

## Gratia non corrumpenda alieno tempore referendo.

*NOn oportet, in rebus iniquis par pari alteri referēdo, Gratias violare: qui enim iustè ab aliquo adiutus est, at ipse eum vicissim in rebus iniustis iuuat, iustam gratiam iniustè corrũpit: mihi proinde videtur tali modo gratiam non rependens beneuolus potius, gratus et amicus esse. Qui enim iustam opem & auxilium ab alio quopiam accepit, parem quoque ex æquo ei talionem referre debet, vt sua gratiæ constet & seruetur appellatio. Quinimò, ne quidem, qui in rebus iustis benefecere, in iniustis & illicitis benefacti sui remunerationem & compensationem exigant, neque item eos ingratitudinis arguant, qui in rebus illicitis remunerari nolent.*

*Petro Rempub.gerenti.* 543

Legationis falsò obitæ abstinere iubet.

M*Issus es, vt negotia conficias, nõ vt mittentibus te ea venum proponas; vt legationem obeas, non vt legatione sinistrè fungaris; vt corrigas, non vt euertas & destruas: ne ergo falsò obitæ legationis nomine accuseris, veni quàm primùm, vt & obiecta refutes, & infamiam à te amoliaris.*

*Ophelio Grammatico.* 544

Quæ virtus Historiæ.

M*Axima historiæ et speculationis, ò amice, virtus, & perfectio est causæ redditio, & nescientibus ipsa argumenta nudè proponere & declarare. Si enim isthac virtute careat, etiam demonstratione carebit.*

*Maroni.* 545

Diuitiæ non satiant. Conf. epist. 488.

D*Iscito, non à me, sed ab ipsa rerum natura, te esto sexcentos pecuniarũ colligẽdarum modos excogites, nequaquam tamen sa-tiandũ. Nam satietas cũ diuitijs ac pecunijs simul nõ stabulat; at cũ ipsa sufficiẽtia rerumq;*

modi-

*modicarum indigentia societate quadam iungitur, simul incedit, & cohabitat. Desine igitur illa cōsectari, quæ omnino haberi nequeũt: nam satietas dum quæritur, nõ inuenitur; non quæsita verò, sponte & non vocata aduenit, ac non quietem solùm, sed & gaudium & exultationem adfert.*

*Asclepio Sophistæ.* 546

Conf. epist. 533. Labore honos, & vita paratur æterna.

M*Iror, quomodò & Homerus & Pindarus fortes esse censeant eos qui operibus & laborando ostendent se aliquãdo in vita extitiße. Thucydides verò apertè homines roget, vt labores omnino non fugiant, aut alioquin honores nõ quærant. Sophocles denique asserat, Sine labore nihil rectè fieri; docentes auditores quique suos, vt sempiternam vitæ gloriam solis laboribus comparent: qui autem immarcescibilem consequi gloriam satagunt, et regnum cœlorum ambiunt, nescio sanè quomodò ignauè & desidiosè agendo hominibus bona & vtilia accidere solere existiment.*

*Eidem.* 547

Conf. epist. 442. 521. 563. Orator non semper persuadet.

C*Vm ipse dicens, etsi omnem alioquin eloquentiam et artem oratoriam adhibeat,*

*non*

*non tantum in persuadendo possit, quãtum audiens, nefas profectò est, optima dicentem, non persuadentem tamen reprehendere; sed illum qui optimis persuaderi non voluerit.*

*Eidem.* 548

Anima virtute prædita Deique auxilio freta arcis instar est inexpugnabilis.

*SIcuti arx inexpugnabilibus muris cincta, obsessores suos explodit, sic & anima, si omnigenis se virtutibus circumcinxerit, & diuino adiutorio munita fuerit, facit vt omnes illam obsidentium machinæ tandem in infamiam & risum desinant.*

*Esaiæ.* 549

Dei longanimitas ad pœnitentiam inuitat. *Conf. epist. 526.*

*CAue ne diuina te longanimitas ad malefaciendum prouocet, sed illa te ad virtutem potiùs excitet. Absurdissimũ quippe est, bonum in malum conuertere: bonũ porrò est longanimitas, vtpote quæ misericordiam pœnitẽtibus, iudicium verò impœnitentibus parit.*

*Palladio Diacono.* 550

Summus morborũ animi medicus Deus est.

*AVdio animæ tuæ morbum, à paruis vilibusque rebus enatum, temporis ductu*

*ita*

*ita longè processisse; vt nulla medica arte curari posset. Quamobrem si hæc ita se habeant, committe te peritæ, scienti & diuinæ manui, cui nec morbi vis, nec tempus, nec natura ipsa repugnare possit: itaque quàm facillimo negotio sanitati restitueris.*

*Theofanio.* 551

Animus à præsentium malorum sensu spe futuri boni abducendus.

P*Ræsentis & temporanei huius mali cogitationem quàm citissimè deponens, amice, spe futurorum totus nitere: cùm & ipsi nos, fama calamitatis huius allata, non parum deiecti & consternati, ad eam æquanimiter ferendam excitauerimus.*

*Heliæ Diacono.* 552

Ignoscendum vel non petenti.

E*Tsi tuam ipse culpam non confitearis nec veniam postules meum tamen est veniã dare ei, qui per ea, per quæ se defendere & excusare erubescit, se deliquisse fatetur. Itaque ne animum tuum conturbet, & afficiat, quòd defensionem & refutationem tuam exspectare noluerim, sed hoc ipsum ad me amandum, te*

*potiùs*

*potiùs prouocet. Etenim vſque adeò in pacem & concordiam propendeo, vt & defendere & excuſare ſe erubeſcentibus libenter ignoſcam.*

*Alypio.* 553

Mens quàm lingua potius excolenda.

*EQuidem amicos & familiares meos mentem priùs edoceri & ediſcere malo, quàm linguam ſi verò vtramque eos habere contingat (licet fortaſſis id nonnullos offendat, liberè tamen quod verum eſt dicam) eos velut ſtatuas quaſdam ſuſpicio, atque apud omnes iactabundè me beatum prædico & glorior, quod huiuſmodi amicos nactus ſum.*

*Petro Scholaſtico.* 554

Quis verè ſtatuerit trophæa. **Conf. epiſt. 167.**

*QVi rectè de rebus iudicant earumq; naturam perſpectam optimè habent, ab ignauia ſemel ſubacti & ſuperati, rurſus forſan bellum redintegrabunt, & de ipſa trophæa quædam erigent. Qui verò ne hoc quidem norunt, quòd victi ſint, ecquando victoriam aliquam referent?*

*Petro Lectori.* 555

Virtutis pulchritudo, peccati fœditas.

*CVm animæ pulchritudo potens et inuicta sit, tum cùm virtutum propositio in ea enitescit; contrà verò eiusdem forma fœda sit & ferina, quando improbitatis turpitudo in ea visitur, demus operam vt illam quidem possideamus, hanc verò amoliamur.*

*Apollonio.* 556

Citiùs alij, lentius alij curantur.

*SCio, nõnullos quidem citiùs, alios verò tardius post acceptas iniurias cum iniuriantibus in gratiam redire, itaque præferre nihil se amplius eorum quæ dicta sunt recordari. Vt enim quique affecti, & intus dispositi sunt, ita fieri oportere existimant. Nam qui quidem generosi & fortes sunt, citò ignoscere & cedere virtutis quoddam signum & notam eße censent, non tam ad res ipsas attendentes, quàm id quod priùs intra se sensere & erga quod affectu propenderunt confirmantes. Si verò petieris, quid igitur facto opus est? Dico, cùm omnimodò reconciliari oporteat, melius esse quàm citissimè;*

*citissimè; sin minùs, saltem seriùs ac tardiùs in gratiam redeundum. Neque enim hominem spirat, perpetuam & immortalem rabiem ac furorem seruare.*

*Isidoro Episcopo.* 557

Hortatur ad constantiam in bono, ne famam bonam perdat.

*FAma egregia tua facinora diuulgãs, quocumque diffunditur & spargitur; quam quotidianis benefactis et operibus bonis etiam adaugeri par est; primum namque et postea negligenter agentium, decus & gloria diffluere & deperire solet.*

*Ophelio Grammatico.* 558

Philosophia, vt definienda.

*ALij quidem philosophi philosophiam artẽ artium, & scientiam scientiarum, esse dixerunt: Pythagoras verò sapientiæ amorem, Plato omnium posseßionem scientiarum: Chrysippus denique studium esse censuit rectæ rationis. Cùm igitur hi qui primarij eße videntur, non eodem omnes modo eam definierint, nos veram philosophiam esse dicimus eam, quæ nihil eorum quæ ad pietatem & virtutem vllatenus conducunt, negligat & omittat.*

*Eutonio Diacono.* 559

Inuidiæ cedendum. Inuidus bonis alienis macreſcit.

TAmetſi inuidia, quę omnes propè bonos et illuſtres perſtrinxit, te quoque attigerit, inuidentibus tibi illis, qui aliorũ virtutes ceu propria damna reputant, aut potiùs bonis alienis plus quàm ſuis ipſorum malis dolent, noli propterea turbari: ſed hoc ipſum primarium quoddam virtutis ſignum & argumentum ratus, eo ampliùs bonis operibus inſta. Ita namque fiet, vt ipſe celebris euadas, illi verò pœnas tales ſibi arceſſant, vt maiores ĳs dare non poſſint.

*Petro.* 560

Quæ certa amicitiæ regula.

ILla meo iudicio, rectiſſima amicitiæ regulæ & norma eſt, omnibus ſine vlla exceptione fratribus conſentire, ex adulatione amicitias non contrahere, nec clam vlla odia aut inimicitias fouere: ſed in omnibus animum apertum, candidam mentem ſimplicem quoque linguam, potiùs verò ſimpliciorem vitam moreſque præferre.

Nilam-

*Nilammoni Scholastico.* 561

Meticulosi sibique malè conscij.

*QVemadmodum meticulosi vel ad solum malorum auditum percelluntur, & ne folij quidem motum perferunt, metu ipso in rerum euẽtibus magnas causante suspiciones: pari modo peccatores assiduè & vndiquaque reprehenduntur ac corripiuntur, conscientia tam propter laudantes, quàm propter vituperantes, tam ex conscijs, quàm non conscijs, ipsos lancinante & impetente.*

*Zosimo Presbytero.* 562

Ad frugem bonam inuitat.

*CViuis mente prudẽtiaque prædito liquet, nihil lasciuum nobis aut iuuenile, committendum esse, sed temperatã & castigatam quamdam in omni vita moderationẽ & temperamentum adhibendam. Cur igitur probrosam hanc famam, de te sparsam vndique & decantatam minimè curas, sapientibus viris dicentibus te, nec cùm iuuenis esses, in cupiditatibus moderatum fuisse, idque ob paupertatem qua tunc premebaris; ac ne nunc quidem cùm factus es senior, ob ætatem esse? Quid igitur*

*vsque adeò insanis? Quorsum concupiscentiarum fines excedis? Ergo, aut ab his abstine, aut ab altari & templo.*

*Sereno Tribuno.* 563

Gloria mūdana fugax, & fluxa est, virtus autem æterna, quare huic potius, quam illi studendum.

*MVndi huius gloriolam hemerocallim, id est florē qui vno ferè dumtaxat die floret, esse; at virtutis decus, immarcescibile & sine fine, nemo nō qui mente & prudentia præditus erit, affirmarit. Multos autem illam expetere, hanc verò negligere, minimè mirum est; cùm & ægroti salubres cibos reÿciant, insalubres verò & noxios sectentur; ac libidinosi & adulteri meretriculā modestæ præponant vxori. Oportet autē cordatos homines, non ab ægrotis, sed rectè valentibus exemplum sumere.*

*Eidem.* 564

Conf. epist. 470. Episcopis alijsque in dignitate constitutis, vbi male agunt blandiri atque assentari impium.

*ET impium & parum virile esse existimaui, malæ vitæ homines, at potentes & ad im-*

*ad imperium euectos, coli & obseruari, virtutibus verò præditos, si priuatam vitam agant, nec in dignitate sint constituti, nullo in pretio haberi: illos laudibus ornari, hos probris, & conuitijs onerari. Noli ergo mirari, si iustum vtili, decorum lucro, virtutem potentiæ præferam. Nisi id enim facerē, viderer profectò ideo Eutonium aspernari, quòd aliorum maleuolorum insidijs impetatur. Eusebium verò vice versa idcirco colere & obseruare quòd tyrannicè agat: Eutonio namque vniuersus Clerus aduersatur, illi quidem sponte & volenter, alij verò potentioris & præualentis cuiusdam iussu. Huius verò dissensionis & auersionis quæ causa & culpa sit, non satis scio. Dicunt verò, audisse se è quibusdam egregium illum virtutis cultorem esse. Hunc verò, qui belli & dissensionis huius tesseram ac signum dedit, Eusebiū, tametsi multi eum odientes & insimulantes, ei adulentur, ego ceu iuratum virtutis aduersarium, & diaboli aduersus hominum animas zizania ferentis, cooperatorem ne videre quidem possum, tametsi sexcentas mihi mortes interminetur.*

*Ioanni Scholastico.* 565

## Virtutis ac vitij παραλλήλως elegans comparatio.

*CVm improbitas per ea, quæ in præsens delectabilia esse videntur, incedat, adhæc voluptatem sibi sociam & comitem habeat, cõtrà virtus varios labores & certamina includat; hinc illa quidem plurimos, hæc paucissimos in sui amorem pertraxit. Porrò oportet eos, qui considerant, improbitatis voluptatem celerrimè pertransire, virtutis verò gaudium perpetuum & immortale esse; adhæc, illam dedecus, ignominiam, infamiam, hanc verò laudes & gloriam parere; illam quoque in supplicium, hanc autem in honorem desinere; illam item, diabolum, hanc verò Deum rerum optimarum constitutorem, & auctorem, in patronum habere; illam item, vitam nostram subuertere, hanc verò contrà componere; præterea illam, à præsentibus sæpenumerò reprehendi, at hanc etiam non colentibus ipsam, admirationi esse; illi denique ignem, huic autem regnum cœlorum præparatum esse: oportet, inquam hæc cõsiderantes, illam quidem; vt ferinam & serpentinam, repudiare, hanc verò, vt diuinam*

*& su-*

*& supercœlestem amplecti. Qui secùs faciunt, meretricem modesta coniuge potiorem ducunt, & illam præ hac eligunt.*

Petro. 566

Hortatur vt constanti animo ferat amissionem bonorum temporalium.

*VEritas res est cum primis potens, & sæpè occultari potest, quamquam arcana sua abscondere volentes ipsa contracti vultus tristitia, & suspiria etiam præter voluntatem & inuitis prorumpentia produnt, sed non latent interim viros sapientes, qui me cùm æquum arbitrarer te confirmare & consolari ad scribendum impulerunt. Quamobrem, amice, rerũ temporalium quanta sit imbecillitas tecum perpendendo, noli si eas amittas contristari, aut cum ijs qui in illis inuoluti & prorsus immersi sunt, & semper passionum & affectionum suarum aliquid in colloquijs & conuersationibus intermiscent, sed cum illis qui virtute nulli suorum cedunt, familiaritatem contrahere, & assiduè versari.*

Maroni.

*Maroni.* 567

Conf. ep. 24.

Qui bis in eadem re peccat veniam non meretur.

*PRimam tuam præuaricationem & peccatum ſpecioſus aliquis prætextus excuſabilem ac venia dignam facere videbatur, quòd patruum tuum iniuria affectum & malè habitum putares: huius verò ac præſentis delicti committendi, nullã talem cauſam & prætextũ habuiſti. Etenim ex auaritia & cupiditate quadam ad hoc admittendum impulſus fuiſſe viſus es; & prioris illius immanitatis culpam aperuiſti, dum prauam intentionem tuam nudè iam oſtendiſti.*

*Dorotheo viro clariſſimo.* 568

Conf. ep. 20. 219. 250. 442. 521. 547.

Optima ſuadens non ſemper perſuadet, quod ſimilitudine ab Oratore, & iudicibus ſumpta declarat.

*SI qui conſulit, in manu ſua habeat, ipſum exhortari; cui verò conſulitur, ipſum perſuaderi: & ille quidem, quod in ſe fuit, præſtiterit; hic autem ſententiã illius opere illam exequendo, non comprobarit; quid hæc ad adhortãtem & conſulentem ſpectant? Perinde enim fit, ac ſi quis in tribunali iudices perorare, oratorem*

*torem verò iudicare & sententiam ferre coget, quod autem hic dicere volo, hoc est. Tribunal & iudices admittit, & simul oratorem; illos, vt sentẽtiam ferant; hunc vt causam agat. Hic itaque dicendi magister & dominus est; illi iudicij. Iudices porrò sententiam pro opinione sua & iuxta id quod sibi videtur ferũt; nullus verò orator aut patronus causarum, pro se vmquam iudicauit. Si ergo orator tribunal ingressus nihil dicat, sed taceat, peccat; at si, & iustè, & per omnia consentaneè dicendo, minimè persuadeat penes iudices peccatum est. Quamobrem sicuti absurdum est, à iudicibus orationem exigere, sic & à patrono sentẽtiam, at si iudices, oratore eloquenter & iustè dicente malè sententiam tulerint, sua oratorem quidẽ victoria, an non virtute priuauerint. Tale quid & de commonente ac suadente, non persuadente tamen, intelligatur.*

*Zosimo Presbytero.* 569

Detestandi Zosimi carpit diserte vitia, vt hactenus semper; & sacerdotio indignum à sacris arcendum censet.

*MVlti magnæ auctoritatis et in dignitate constituti viri, egregiè erga diuinissimam religionem affecti, identidem nos compellant*

*pellant vitæ tuæ rationem nobis commemoran do,et aduersus eum,qui te sacris ordinibus initiauit debacchante impollutaque altaria per te pollui & coinquinari, sacerdotium vilipendi, illos denique qui pollutis manibus tuis baptizati sunt,in salutaria mysteria iniurios esse,asserendo. Hos autem, ego non nudè ac simpliciter, sed & sufficientissima ac debita quadam præparatione (vti quidem ipse existimo) instructus respondendo refutaui, non quòd vitam tuam (nam verè quod res est dicere oportet) propugnare vellem & tueri (sic enim ipse sugillarer & reprehenderer) sed tantùm ostendere,laicos nihil à sacerdote,aut præsule,non rectè viuente damni accipere. Sed cùm ne sic quidem ijs os obturarem,apertè dixerunt. Nobis quidem satis sufficienterque persuasisti, sed alijs omnibus, cùm doctis, tùm indoctis & popularibus,quotidie & identidem hæc sugillantibus, & vsque adeò ea quæ silenda potiùs essent,euomentibus, vt quæ is fecit,iam tandem & scenæ fiant fabula, quis persuaserit? Vt verò, his omissis, inquiunt ad ipsam malorum radicem perueniamus; cur ipsum malorum architectum non inducis, vt ex huiusmodi ebrietate tandem emergat? Nam cogitare debemus, & cogimur, vel nolle te hunc inducere & commonere*

*monere*

monere cùm optimè poßis; vel minimè posse, cùm maximè velis. Verum enim verò, cùm primum de te credere nefas sit, nimirum, quòd, cùm in manu tua sit improbitatem impedire & auertere, id nolis; reliquum ergo est, vt te, cùm insufficientem & imparem ad hoc te arbitreris, quietem sectari velle cogitemus. Ego verò, esto hæc ita se habeant, hoc tamen præ rubore quodam fateri nolui. Sed respondi vos quidem hæc splendidè dicitis, at nescitis fortaßis, nefas esse quempiã cogere vt bonus fiat: ego verò rursus faciam id quod potero & in me est. His dictis, illos dimisi; &, atramento lachrymis propemodum diluto hanc tibi epistolam exarare visum fuit. Quòd enim sæpius tibi scripserim ea, quæ & inanimam inflectere naturam potuissent, temetipsum testem appello, vtpote qui à libidine tua detrectas abstinere, quò & teipsum & nos à crimine ac culpa liberes, & te calumniantibus os obstruas. Quod verò ne modò quidem tibi parcam, sed & prostratum te denuo aggrediar, ac pasionem tuã, quæ incurabilis prorsus videtur curare & mederi cupiam, hæ litteræ amarulẽtiores, & acerbiores ÿs quas antehac tibi scripsi testes erunt Quòd enim benigniorem dulcioremque agendi modũ paruipenderis, hinc iam valentiorẽ acer-

biоremq;

*bioremq; necesse est adhibere. Quid igitur usq; adeò in teipsum (cogor enim quæ nollẽ, dicere) sæuiendo insanis? Quid ita pertinaciter vitiũ sectaris? Quorsum virtutem quantũ in te est, violas & iniuria afficis? Cur sacrũ altare polluis? Cur sacra mysteria & ritus profanãdo, nõ metuis aut exhorrescis? Cur ita tegeris, vt dũ homines tuam vitam intuentur sacris mysterijs iniuriam putent per illam fieri? Cur item in Gentiles illos, qui ad Christi Ecclesiam libẽter accederent, iniurius es, ostium illis occludẽdo? Cur scenæ & theatris noua tragædiarum argumenta suppeditasti? Cur nouas in vitam hominum actiones infers? Cur veteres tragœdias nouis inobscurasti? Si fortasse Deum, quòd hactenus longanimis erga te fuit, non formidas, saltem homines reuerere: si iudicium illius non timuisti, bonæ saltem reputationis & nominis rationem habe: si nihil post hac è vita excessum superesse vlteriùs putes (hoc namque enormia scelera tua apertè clamant) hominum saltem ludibria & sugillationem reueretor: si neque hæc moreris, saltem time ne ex Ecclesia eijciare. Aequum quippe est, ex ea te eijci. Esto enim cùm huiusmodi res facias in præsens minimè eijciaris (videtur enim qui te ordinauit, improbitate & vitio delectari) qui*

*tamen*

*tamen post illum sequetur forsitan id faciet, ac Deum, altare sacrum, incontaminata mysteria & homines hac ratione defendet ac vindicabit Multi quidem (ah! miser Zosime: cogor enim & in planctus & lamenta prorumpere) ante te impij & peccatores fuere, qui nec Deum timuerunt, nec de honesta vita agenda solliciti vllatenus fuerunt: tu verò hos omnes superasti, omnium illorum factus es coryphæus; & tale peccantibus factus es exemplum, vt aut nemo credat tale dari posse, assequi imitando valeat. Illi namque aliquas saltem habuere virtutes, tu verò quadam cum vitio & voluptatibus velut societate inita ipsa cum virtute bellum non præsignificatum nec priùs indictum suscepisti: itaque omnium factus es fabula, ludibrium & scandalum. Viso namque te impuris & pollutis manibus tuis sacra mysteria tractare, abscedunt, & malunt sine communione sacra percepta abire, quàm ex impuris sacrilegisque manibus impolluta & pura illa munera suscipere. Et licet multi sæpè ex me audiant, nihil obesse; horum tamen nonnulli id minimè credunt, alij verò ne auscultare quidem dicenti volunt, rati me hic nugari. Et cùm illis Balaam, & Caipham, in exemplum adduxissem, qui esto homines & impijssimi & iniquis-*

Num. 23.
Ioan. 11. 50.

*iniquissimi fuerint, ille tamen benedictiones prolocutus est, hic verò prophetauit: adhæc exẽplum corui, quæ cùm auis impura sit & pullos*
3. Reg. 17.4. *oderit, ab eo tamẽ Elias alitus est, protulissem; ipsi licèt alia omnia admitterent, assentirentur, & religiosè venerarentur, cum tamen ad te descenderem, nolebant credere. Nam ob multitudinem scelerum, tam quæ priùs commisisti, quàm adhuc quotidie committis, in cõtrarium de te iudicium & sententiam ferunt, non tam ad ea quæ ipse dico; quàm quæ tu facis, attendentes, & à me, vt aliter sentiant admoneri nolentes. Sed heus; quo te compellans nomine, à veritate non deflectam? Quod verò dicendo, faciam vt ab amentia tua recedas? Quid scribendo, efficiam vt à libidine & lasciuia abstineas? Itaque vel hæc facere desine, vel à sacra te mensa sequestra: vt deinceps Ecclesiæ alumni tutò, & sine vllo metu ad diuina mysteria, sine quibus saluari non possumus, accedant.*

FINIS EPISTOLARVM.

# Errata sic Corrige.

Pag. 19. nefádo. ne fando. 26. immanitati. immanitate. 29. sermones. ne sermones. 30. virtutẽ. virtute. 32. custodiẽdas. custodiẽdos. 45 superuacaneis. superuacáneos. 74. Philertrio. Philetrio. 76. si. sic. 86. Αντιπίχαφος. Αντιπίγραφος. 94. iniuriã. incuriam. 102. chalamis. thalamis. 113. iaque. itaque. 128. virtuti. virtute. 134. arenis. armis. 138. facultatem. facultatum. 142. distincta. disiuncta. 144. Alypso. Alypio. 145. at. ac. 147. noluisti. voluisti. magis impatibilia. *adde* sed & tenuissimis magis impatibilia. 192. corcere. coercere 199. iniuriam. incuriã. 201. Vrano. Vranio, 202. corũ. earũ. 221. inde. indendo). 227. hac. hæc. Eutomio. Eutonio. 228. hic. sic. 229. mihi pænarum. metu pœnarum. 230. illo. illi. eum. enim. conuiuere. conniuere, subditi *adde* & subditi. 232. ea certe *adde* in ea certè. 234. proximum. proprium. 236. ipsamq; *adde* in ipsamq; 237. commissorum rationem. commissorum reparationem. 238. peccarint. peccarunt. 240. & vt. ei vt. 244. dilectissime. disertissime. 247. pænam *adde* si peccemus pænam. 252. incessu ipsa. incessu ipso. 256. Illiberabilis. Illiberalis. 260. Gemadio. Genadio. 264. culpabilis est. culpabilis erit. 275. hoc verè, hoc verò. 276. infamiã accusare. insaniam accusare. 279. adepta. adijta. nostra est iniuria. nostra est incuria. 280. necesse non. necesse nos. 281. lactent. lactant. 286. ex hoc loco. ea hoc loco. 288. vsque. ijsque. 289. etiam mansueti. *adde* euincas etiam mansueti. obsint. obsunt. 291. illegitimos censentur. illegitimos censetur. 295. liberauit. laborauit. 309. simulatis. simuletis. 311. comitaris. connitaris. 317. sumat. *adde* sumat, & se. 319. sequens. sequeris. 322. præsint. prosint. 325. computare. iam putare. 332. immutet. inuitet. 342. potuerint. potuerit. 346. Grammaticè. Grammaticem. putat. putas. tabellas. tabulas. facimus. faciunt. 349. infamis. insanus. sincera. *adde* & sincera. ante. aut. 351. respicere. *adde* ne respicere. 352. iudicata. *adde* ea iudicata. 357. vnde. nudè. 361. nuper. *adde* quæ nuper. 362. quam quæ. ferret. feret. 368. pusillus. pupillus. 371. calores. labores. 372. relapsus. et lapsus. 377. auxilio *adde* enim auxilio. 386. improbitatem. *adde* ob improbitatem. 389. peritum. imperitum. 391. impetrandi. imperandi. 402. propositio. proportio.

411. de-

411. detestandi. detestanda. 412. debacchante. debacchando. 415. assequi. *adde* aut assequi. obesse. *adde* hoc obesse.

*In margine.*

Pag. 32. Ep. 413. non ad Ep. 44. sed ad 45. spectat.
34. Heb. 11. 39. Heb. 11. 38.
90. Philip. 1. 29. refer ad paulò superius posita. 131. Exod. 28. 8. Exod. 23. 8. 166. conf. ep. 165. conf. ep. 145. 169. Gen. 19. Exod. 14. 191. conf. ep. 127. conf. ep. 227. 201. Deuter. 52. Deut. 32. 208. Iob. 4. 4. Iob. 2. 4. 364. conf. 440. lib. 2. ep. 437. 440. conf. ep. 2. 437. 440.

Hæc dum opus excuderetur animaduerti; siqua præterea irrepserint, tuo, Lector, iudicio relinquo.

8

S. ISIDOR
EPISTOLA